COMMENTATIO DE OLEIS VNGVINOSIS (ETC.)

Justus Arnemann





IVSTI ARNEMANN

LVNEBVRGENSIS

COMMENTATIO DE OLEIS VNGVINOSIS

QVAM

IN CONCERTATIONE

CIVIVM

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE

IV. IVNII MDCCLXXXV

PROXIME VICTRICI ACCESSISSE

ORDO MEDICORVM DECLARAVIT

Si quid desit operi, id suppleat aetas, et si quae sint dicta iuueniliter, pro indole accipiantur. QVINCTIL.

GOETTINGAE

Typis BARMEIERIANIS.


KAISERLICHE KOENIGLICHE
WIEN
HOFBIBLIOTHEK

INDEX
ARGVMENTORVM.

SECT.

COMMEN-

COMMENTATIO
DE
OLEIS VNGVINOSIS.

§. 1.

O*leorum communis* ea *natura* eſt, quod, vtut initio liquida, quiete protracta ſpiſſiora euadant, frigore plerumque in ſebi ſpeciem craſſeſcant, igne miti tamen liquandam, flammam nutriant, imo ardeant, aquae miſcelam reſpuant eandemque repellant, agitata cum iſta in globulos colligantur, ex ſic tandem vtrumque in diſtincta liquida ſeparetur.

Haec ipſa non in *plantis* vnice reſident, quarum res imprimis hic agitur, ſed et *animantibus* etiam variisque *mineralibus* inſunt.

Etenim in omni fere *animalium* genere copioſe oleum continetur, idque non in vna modo ſed pluribus eorum partibus, e. c. in adipe, medulla oſſium, oſſibus ipſis, lacte, ouis; vnde tot axungiae et ſeba, oleum cornu cerui, butyrum, oleum ouorum, oleum formicarum aliaque bene multa proſtant.

A Mine-

Mineralis cenſus autem ſunt naphta, petroleum, aſphaltum *a*). Oleum vitrioli et oleum tartari per deliquium nihil praeter ſpiſſitudinem cum oleis commune habere notiſſimum eſt.

§. 2.

Sincerum vegetabilium oleum colligitur in receptaculis quibusdam membranaceis, vel *folliculis adipoſis* iure vocandis *b*). Alias particulae oleoſae ſuccis plantarum miſtae exſtant, diuiſae hinc, et vix olei ſpecie tum apparentes, ſed ſaponis forma latentes. Quoties vero abſconditae hae oleoſae partes aſſociantur, aliis ſeparatis, tum ſtatim oleum apparet. Oleum itaque pars eſt vegetabilium conſtitutiua, ad laetum eorum prouentum ſumme neceſſaria *c*). Abundat in plantis, partibusque plantarum longioris durationis, praecipue in ſemperuirentibus, vt abiete, pino, larice, iunipero cet. praeſertim quando ad adultiorem aetatem peruenerunt. Nuſpiam vero vberius quam in cotyledonibus plantarum ſeminalibus reperitur, vbi a tenero embryone aquam arcet intempeſtiuam, nocituram, nimiumque frigus ne facile exitialis oriatur conglaciatio. Borealibus imprimis arboribus in locis montanis, frigori magis expoſitis, integumentum praebet idoneum, et ſeptentrionalium terrarum incolae tutelam contra frigus hybernum ope olei a natura ipſa petiiſſe videntur.

§. 3.

Varium obtinetur ex plantis et multiplex, ideoque in *olea aetherea, vnguinoſa et empyreumatica d*) facta diuiſio; indolis ſcilicet ratione habita. De quibus omnibus et ſingulis quaedam praemittere

a) Pallas *Reiſe, Th. I p. 99.*

b) Boerhaave *elementa chemiae, p. 213.*

c) *Oeconomiſche Nachrichten, B. III. IV.*

d) *Empyreumatica* proprie nihil aliud ſunt, quam *olea vel pinguia vel eſſentialia igne aduſta*, adeoque haec bina tantum in vegetabilibus natiua deprehendimus.

mittere opus, vt eorum, de quibus hoc loco ſermo praecipue eſt, natura tanto rectius cognoſcatur.

Olea aetherea vel eſſentialia e) *deſtillatione potiſſimum eliciuntur, cum alembicum tranſcendant plantis aqua ſuffuſis* f). *Odorem et ſaporem plantae deſtillatae proprium induunt, et a materia quadam inflammabili, terra ſubtiliſſima* g), *combinata cum aqua mediante principio ſalino*, compoſita videntur, vtpote a quibus principiis omne oleum componitur. Accedit vero deſuper in oleis eſſentialibus perceptibile illud *principium ſpirituoſum* totam compoſitionem ſpecifica natura imbuens. Quaedam *palato amica*, vt ol. aniſi, foeniculi; alia ignea et corroſiua vt ol. ſatureiae, thymi, caryophyllorum aromat. alia *ſaporis camphorati* e. c. ol. menthae piperit. caieput, roris marini; *amara* alia, vt ol. abſinthii cet.; plura deni-

e) *Eſſentialia* vocantur, quia *ſpecificam et eſſentialem* qualitatem ex ſubiecto, vnde depromuntur, vna cum ſapore et odore auferunt, et ipſum ſubiectum omni virtute vel prorſus, vel qua maximam partem orbatum relinquunt. *Aetherea* vero vocantur ob volatilitatem, ſubtilitatem et odoris fragrantiam.

f) Triplici modo haec olea obtineri poſſunt. 1) *Expreſſione*; hoc enim modo Itali oleum de corticibus citri (oglio vel eſſenza di Cedro) praeparare ſolent, cortices ſupra laminas acutis cuſpidibus inſtructas voluendo et ſcarificando, qua ratione et a cortice aurantiorum, limoniorum olea ſeparari poſſunt. 2) *Deſtillatione*, communi methodo. 3) *Extractione* quae tantum curioſitatis gratia inſtituitur *vel alcohole vini*, *vel ſpiritu vini rectificatiſſimo*, quo olea ex ſubſtantiis ſiccis, bene contuſis extrahuntur, et aqua deinde ex alcohole ſeparantur. Cfr. GEOFFROY in *Mem. de Paris 1721*.

g) WALLERIVS *diſſ. de differentia et examine oleorum in diſput. academ. Faſc. I. p. 136*. *Olea in terram inflammabilem mutari* quisquis tritura eorundem, in mortario vitreo, aliquamdiu continuata experiri poteſt. *Fuliginem*, quam olea ſolidis, dum deflagrant, appendunt, nihil aliud quam terram eſſe inflammabilem demonſtrauit STAHL in *CCC. Exp 61*. An vero illa terra ſit aliquo modo diſtincta a terra oleorum quam tritura produci innuimus, nondum eſt enodatum. Aliam oleis ineſſe terram, neſcio quam *virgineam* plurimi contendunt chemici, ſed non demonſtrant *Anonymus* in *vermiſcht. Schrift. aus d. Naturwiſſenſchaft 1759. p. 191*. exiſtimat *calcaream* ſe in oleis reperiſſe terram, ſed nimis praecipitanter ſuam formaſſe concluſionem videtur.

que *fine vlla acrimonia fapore blando mitique* e.c. ol. rofarum, iuniperi, piperis nigri *h*).

Odor fuauis, aromaticus, pro ratione principii aetherei fragrantiſſimus, quocirca et in deliciis funt habita. Ope vero fpirituum fubtilium, faporisque amoenitate praeſtantiſſima funt medicamina aduerfus illos morbos omnes, in quibus fpiritus animales, et vitales aut defunt, aut quiescunt, gratiſſima humanae naturae languentis fuſtentacula.

Color non minus variat: *albus* in oleo rorismarini, iuniperi, terebinth., *fubflauus* in ol. caieput, faſſafras. cinamomi, caryophyllorum aromat.; *fufcus* in thymi, humuli et zedoariae oleo; *viridis* in ol. abfynthii, cafcarillae, faluiae cet.; *coeruleus* in ol chamomillae, millefolii, arnicae montanae rel. Anni vero viciſſitudines, folum natale, feminis vel alius partis maturitas, quin imo ipfa deſtillatio ad genuinum hunc olei colorem mutandum conferunt.

Quaedam eorum femper *liquida*, frigore non fpiſſefcunt; alia *febaceae omnino funt conſiſtentiae;* alia *aëre temperato* deliquefcunt *frigidiori* vero coguntur, vt oleum anifi, foeniculi, petrofelini, carui, rutae, zedoariae, faſſafras cet. forfan ex olei vnguinofi immixtione.

Aquae fere omnes innatant. Nonnulla tamen exoticarum ſtirpium olea v. c. caryophyllorum, cinamomi, croci, macis, guaiaci, myrrhae, faſſafras, fantali, ob maiorem fortaſſe particularum conſtituentium aggregationem fundum petunt, aqua pon-

h) WIEGLEB *Handbuch der Chemie Th. II p.* 520. MACQVER *El. de chymie P. I c. XI.* WALLERIVS *de origine oleorum in vegetabilibus in disput. acad. Fafc. I. p.* 117. *feq.* SPIELMANNI *inſtitutiones chemiae Exp LXVI. feq.* HOFFMANNI *obf. phyſic chemic. med. feléct. p.* 8. *obf. VIII.*

pónderofiora. Si vero deftillationem cum calce viua fubierint, aquae connubium ineunt *i*). *Quaedam adeo ea gaudent leuitate ut fpiritui vini innatent,* vt ol. lauendulae, formicarum cet.; dum alia in eodem fpiritu demerguntur, vt ol. terebinthinae, myrrhae al.

Priuum hoc tamen habent *quod in fpiritu vini alcoholifato, effentiis, aliisque liquoribus fpirituofis rectificatiffimis diffoluantur*; at non omnes aequaliter et celeritate fimili. Quae caufa effe videtur, quod non omnes aequalem *acidi* fiue *Spiritus Rectoris* copiam poffideant; is enim aquam facile fuftinet, et fi hunc repetita deftillatione demferis pauxillum tantum, vel plane nihil a fpiritu vini recipitur *k*). Ex hac folutione vero praecipitantur, fi aqua pura affundatur. *Facile etiam cum oleis vnguinofis et empyreumaticis mifcentur*, eorumque ope mala arte adulterantur *l*).

Refinas foluunt, et regni animalis et vegetabilis oleofa, zibethum, caftoreum, fperma ceti, camphoram, refinam elafticam *m*) cet.; quod vero et vnguinofis competit. Tardius autem minusque perfecte bituminum, fulphuris, calciumque metallicarum folutio in aethereis comparet. Phosphorus vero vrinae citius ab iis foluitur..

Volatilia funt, admotaque flamma vel fpiritu acido ardent. Eft enim *Spiritus* eorum *Rector valde volatilis, et vinculis aegre includitur*, nihilo tamen minus varius volatilitatis gradus obfervari

i) Cel. GMELIN *Einleitung in die Chemie p.* 253.

k) Obferuari debet, quod quo magis *olea effentialia* fuerint rectificata, eo minus fpiritu vini folvuntur, *falinum* fiquidem plurimum fub deftillationibus perdunt; ex adverfo *olea vnguinofa* eo citius fpiritu vini foluuntur, quo magis fuerint rectificata, vtpote in quibus acidum inhofpitans magis extricatu.

l) WALLERIVS *de differentia et examine oleorum l. c. p.* 123.

m) ACHARD *chymifch phyfifche Schriften p.* 225.

vari videtur, cum vnius plantae *ſpiritus Rector* fixior ſit altero *n*). In hoc quoque diſcrepant haec olea, quod alia, magis forſan reſinoſa, maiorem fumum ſub deflagratione emittunt, alia tenuiora nullum fere (inſtar ſpiritus vini) aut vix viſibilem fumum ſpargunt. Coctione cum aqua quoad totam ſubſtantiam auolat ſpiritus. Si vero deſtillationi cum iisdem plantis ſubiiciantur, colorem ſaporemque priſtinum recuperant.

Cum ſalibus alcalinis fixis aegre iunguntur, et ope eorum *ſaponem imperfectum* conſtituunt qui a STARKEYO nomen habet.

Longa denique aetate odorem perdunt ac tenuitatem. Spiſſeſcunt in craſſamentum *balſami*, vel *in reſinae* ſpeciem indureſcunt *o*), aut ab acido aëreo accedente et coagulante, aut nuda exſiccatione, ſeu aquoſae tenuioris et ſpirituoſae materiae diſſipatione. Nonnulla *in ſalinum peculiare corpus concreſcere obſeruatum eſt* e. c. ol. cinamomi, macis, corticis mali aurant *p*). Aliqua aromatica in *camphoram* abire dicuntur, quam tamen prius in oleo extitiſſe contendit CARTHEVSERVS.

§. 4.

Olea vnguinoſa, ſiue *vnctuoſa*, *expreſſa*, *ex ſeminibus, nucleis et fructibus vegetabilium prelo excuti ſolent, ope plerumque caloris q*).

Color

n) RETZII *prolegomena in pharmacologiam regni vegetabilis, Lipſ. 1783. p. 30.*

o) BOERHAAVE *l. c. p. 76.* WALLERIVS *l. c. ſeq.* ERXLEBEN *Anfangsgründe der Chemie ed.* WIEGLEB *Goett 1784. p. 130 ſq.*

p) *Almanach für Scheidekünſtler und Apotheker aufs Iahr 1783. p. 129. ſeq. 1785. p. 101. ſeq.*

q) Obtineri et haec olea poſſunt triplici modo: 1) *Expreſſione.* 2) *Coctione.* dum nuclei vel ſemina contuſa cum aqua decoquuntur, et oleum, quod ad ſuperficiem aquae aſcendit, colligitur. Hac vero methodo potius curioſitatis quam lucri cauſa praeparantur olea, quum parum, interdum et nihil hac ratione obtineri ſoleat, imprimis ab iis

Color olei recentis vnice a resinosis et mucilaginosis partibus praeparatione solutis pendet; prout expressio facta fuerit a seminibus vel nucleis, plus minus vetustis et rancidis, et prout magis calide vel frigide peracta fuerit; maior etenim calor idem agit, idque fortius et celerius in haec olea, quod tempus mora facit; vtroque modo colores alterantur et profundiores fiunt. *Odor* in plerisque plane nullus, solet tamen vestigium aliquod illius superesse, quo planta instruebatur, e qua fuerat expressum. *Sapor* dulcis, subdulcis, austeriusculus, blandus et pinguis, in nonnullis adeo aromaticus vt in ol. lauri, macis, nucis moschatae, cacao, sine dubio ab oleo essentiali immixto. *Aqua sunt specifice leuiora*, alembicum tamen non transcendunt, destillatione ideo nec eruenda, et vltr. grad. 212. Fahrenh. demum ebulliunt. Hoc vero non in vniuersum valet. Ea nimirum, quae leuissima subtilissimaque sunt, facilius efferuescunt, cum alia longe maiorem ignis copiam absorbeant. Cum aqua tamen ebulliente in vapores reduci nequeunt. Ellychnio immisso flamma flagrant lucida, fumum vix et fuliginem spargente, parum vel nihil nidorosa, paucis tamen exceptis.

Principium inflammabile, acidum r) et aquam in mixtionem primordialem recipiunt, vti olea aetherea; largius tamen *terrestribus et mucilaginosis partibus mixta videntur*, subtilitate hinc et mobilitate aethereis multo inferiora.

Quaedam eorum modico calore fluida minori frigoris vi coagulantur et *crassescunt*, in aëre serius exsiccantur, et rancori magis sunt ob-

iis nucleis in quibus abundans mucilago reperitur, quae ideoque, loco separati olei, *emulsionem* quandam praebent. 3) *Destillatione* eliciuntur haec olea a seminibus anisi, baccis lauri, nuce moschata, macis, et nonnullis aliis corporibus, quorum olea destillata ab his vnctuosis parum discrepant.

r) *Acidum necessarium est ad combinationem phlogisti cum aqua*, quod vero adsit variis experimentis euictum

obnoxia s). *Alia vero absque vlla mutatione fluiditatem in frigore retinent,* vel a frigore glaciali solum coguntur, citius exsiccantur, et rancorem tardius concipiunt t) Alia denique nisi calefiant, nunquam formam perfecte fluidam induunt: *Butyra* vocantur.

In aëre libero satis tarde exhalatione dissipantur, nonnulla adeo in vase aperto per plures dies arenae balneo imposito, et igne digestorio adhibito, ne granulum quidem sui ponderis amiserunt u). Leni ebullitione in vase aperto graueolentem quendam vaporem, et humorem aqueuam exspirant, sensimque tenaciora et crassiora fiunt x).

Aquae connubium non nisi commodi adiuuantis ope ineunt, sed hanc oleorum mixturam non esse perfectam lacteus color indicat, quo patet, olea in aqua esse solum suspensa, non vero soluta. Notandum est etiam hanc superficialem mixtionem non nisi quodam *salino aut mucilaginoso* fieri posse, et tantum valere de oleis igne vel motu attenuatis.

Cum salibus alcalinis siccis, et ab igne adhuc feruidis protinus in saponem perfectum, cum acidis fortioribus in pinguedinem, coëunt, et in resinas, sulphura atque metalla vim exserunt y).

A spi-

euictum est. Metalla enim in oleis corroduntur aequaliter vt ab acidis. In emulsionibus etiam hoc clare conspicitur, quae breui tempore in fermentationem acidam abeunt, et sic porro.

s) Haec *exsiccatio* teste WALLERIO pendet ex maiori quantitate *materiae terrestris* immixtae: quae terra tamen non vt constitutiua pars olei considerari debet, sed vt a *cortice* sub contusione vel tritura et nimis calida expressione, decomposito, pendens

t) *Quae frigore spissescunt olea plus pinguedinis continent,* ratione reliquarum partium constituentium, quam cetera olea expressa, quae frigore non spissantur. Pinguedines animalium cito frigore coagulabiles hoc indicant Hinc haec eadem olea citius reliquis rancida fiunt. Magna parte *phlogisticae materiae* dissipata, vna cum particulis *aquosis*, *acida* remanente parte, ex qua *amarus* et *vrens* sapor atque vis pendet. WALLERIVS l. c.

u) BERGIVS *Mat. med.* p. 48.

x) REAVMVR in *Mem de l'acad. des Sc. a Paris* 1748. p. 405.

y) WALLERIVS, *physische Chemie Th. II. p. 341.*

A ſpiritu vini non ſoluuntur, niſi antea deſtillationem cum calce viua, vel ſale alcalino fixo ſuſtinuerint *z*), parte acida magis euoluta, nexuque laxiore reddito. Hac ratione vero ita mutantur „vt olei aetherei volatilitatem quodammodo ſortiantur, et cum aqua poſtmodum cucurbitae alembicum ſub deſtillatione transſcendant, neque amplius cum acidis potentibus „in maſſam adipoſam, ſed aeque propemodum ac vera olea „aetherea in reſinoſam coagulantur, et incenſa, flammam puriorem et lucidiorem praebent, minoremque fumi atque fuliginis quantitatem ſpargunt„ *a*).

Haec olea virtutem habent lenientem, nutrientem, lubricantem, ſubanodynam, inuoluentem, anthelminticam. Inuoluunt acre virus, ſpasmos relaxant, tenesmos doloresque inteſtinorum diros compeſcunt, eroſa obliniunt, vermes inſectaque necant. Aetate vero, et ſi loco calido ſeruentur a priſtino degenerant ingenio. Sine vlla aliena admiſtione tenuia, amara, corroſiua, *rancida* fiunt, motu inteſtino mixtione primordiali turbata *b*). Odorem nidoroſum, empyreumaticum, ſaporem ſumme nauſeoſum, coloremque peregrinum aſſumunt, et clandeſtinam fermentationem oleum ſubiiſſe videtur.

Si haec olea vnguinoſa cum vegetabilium partibus digeruntur, nomen *olei infuſi* acquirunt, ſi autem iisdem coquuntur et colantur, *olea cocta* dici ſolent.

§. 4.

z) Cel. GMELIN *l. c. p.* 235.

a) CARTHEVSER *M.m.p* 193.

b) Hic *rancor* et *acrimonia* dependet a continua *diſſipatione materiae phlogiſticae tenuioris et leuioris*, qua diſſipata, remanet *acidum acre fere nudum*, quo phlogiſton vnitum fuit. Hanc decompoſitionem ſapor olei rancidi ſufficienter comprobat. WALLERIVS *de origine oleor. in vegetab. l. c. Berner Magazin B.* 1. *St.* 1. *p.* 103.

§. 5.

Olea empyreumatica, foetida, odore forti et tenaciter nauseoso instructa, *destillatione sicca majore vi ignis ex omnibus tribus naturae regnis producuntur c)*. Oleis plerumque reliquis *graviora* sunt, *coloris* nigri vel bruni, pro ratione materiae, ex qua elicita fuerunt varia. Destillatione vel rectificatione empyreuma absumitur, et aetherea olea fiunt, alembicum transscendunt, fluida nunc et solubilia a spiritu vini recipiuntur. *In aëre libero constantiora* sunt, quam aetherea, et velocius mutantur, quam vnguinosa. Calori leni exposita quoad partem auolant, remanente massa nigra carbonaria, si vero destillationi vehementi subiiciantur, fere nihil in vase retorto remanet. *In aqua fundum petunt*, cum ea probe mixta et agitata quoad partem soluuntur, illique odorem saporemque oleorum specificum, tetrum nauseosumque conciliant. Color aquae varius fit, vel lactescens, vel ex rubro brunus.

Mixtura vero eatenus differunt haec olea, quod in aliis *alcali volatile* reperiatur, vt in plurimis oleis, praecipue animalibus; in aliis *acidum immixtum*, vt in oleo tartari, oleis pinguedinum, oleo panis atque picis liquidae; in aliis vero *et acidum et alcali*, vt in oleo cornu cerui, oleo saponis cet. Prout haec omnia examine chemico et reagentibus patent *d)*.

Sulphur difficilius soluunt, quam olea vnguinosa, facilius, quam aetherea. Metalla et semimetalla quaedam fortius aggrediuntur, calcesque quorundam perfectius soluunt v. c. cuprum et calces ejusdem. *Cum acidis concentratissimis* et *praecipue cum acido nitri flammifico mixta*, fere cuncta in flammam lucidam erumpunt.

Pro-

c) MACQVER *Elem. de Chymie P. I. c.* 2 NEVMANNI *praelect. c.* 272. METZ *diss. de oleis et speciatim de empyreumatic. Gissae* 1781.

d) WALLERIVS *de examine et differentia oleorum p.* 156.

e) SPIELMANN. *l. c. p.* 197.

Proprietatibus et virtutibus calefacientibus medicis reliquis oleis praeſtant. Oleum animale DIPPELII, ol. philoſophorum, tartari, picis, ſaponis, cerae rel. hic potiſſimum locum merentur *f)*.

His, quae *de oleis in genere* valent premiſſis, nunc ad ſpecialiorem olei cujusque vnguinoſi tractationem progredior. Ordinem vero ſequentem obſeruabo:

I) de *vnguinoſis ſpeciatim*, notis eorum ſenſibus obuiis, frigoris calorisque in ea efficacia, grauitate ſpecifica, virtutibusque eorum medicis ſermo fiet.

II) *Optima* ea cum *aqua* miſcendi *adiuuantia* commemorabo.

III) Vires in *ſalia*, *ſulphura*, *metalla* et *corpora reſinoſa*, quatenus cenſus medici ſunt, perpendam.

IV) Experimenta aliquot in *vermes* et *inſecta viua* in medium proferam. Quibus denique collatis

V) Disquiſitio, an *promiſcuo vnguinoſorum uſui locus ſit?* finem faciet.

f) MODEL *in Commerc. liter. noric.* 1741. p. 321. BOERHAAVE *El. chem.* T. II. SPIELMANN. *Exp. LXX. Almanach für Scheidekünſtler* 1782. p. 42.

Sect. I.

De Oleis vnguinosis, indole eorum et viribus medicatis.

§. 6.

Oleum oliuarum, *Oleae europaeae* Lin. fructibus torculari subiectis exprimitur, et, vt optimum sit, his satis maturis, probe decerptis et sollicite purgatis *a*). Oleum pellucidum est vel subflauum, odore leuissimo, sapore miti et blando. Albedine tamen, blanditie, saporisque amoenitate omnibus reliquis praestat, quod principio profluit, et a puritate *virgineum* vocatur, a Gallo-Provincia vero vulgo *Prouencer Oel* audit. Frigoris impatiens inde a grad. 40. Therm. Fahrenh. in massam sebaceam albescentem cogitur. In centro vero vel meditullio huius coagulati olei remanet quidpiam *olei clari*, intensissimo frigore non coagulabile, sine omni adulterationis suspicione, siquidem id omni cum oleo oliuarum contingit. Hoc non coagulabile oleum, quod sua indole proxime ad essentialia olea pertinere videtur, est pretiosissimum, et valde parca quantitate obtineri potest *b*). Aetate rancescit, et pro gradu rancoris acre fit, citius si in loco calido seruetur, aut nimium preli aestum sustinuerit. Flamma flagrat lucida, vix fumante et fuliginosa, parum vel nihil niderosa neque oculos neque pulmones infestat.

Virtute praeterea *nutriente*, *demulcente*, *relaxante*, *lubricante* et *emolliente* sese commendat. In re culinaria, officinis artificum vsum multiplicem praestat, et maxima sunt olei commoda.

a) *Ill.* Murray *apparat. Med. Vol. II. p. 33.* Bergius *M. m. p. 19.* Lehr *diss. de Olea Europaea Goett. 1779.*

b) Wallerius de *differentia et examine oleorum l. c. p. 155.*

da, quae in medicinam redundant. Ob pinguedinoſam eius naturam lubricat ſolidas noſtri corporis partes, tenſae aridaeue cuti, fibrisque partium rigidis, conuulſis et exſiccatis natiuam reddit laevitatem, frictionisque ſequelas auertit. Acria praeterea corrodentia obducit, eorumque vim infringit, ſpasmos doloresque a nimia neruorum tenſione profectos temperat. Maximum itaque remedium ſiſtit in obuoluenda cujuscunque generis acrimonia in primis viis, organis reſpirationis, meatibus et receptaculis, aut alui aut lotii obuia, ac praecauendis, tollendisque ab eius actione profluentibus effectibus; irritatione, conſtrictione, conuulſione, dolore, roſione, inflammatione, gangraena, tuſſi, variis concoctionis ciborum vitiis, lotii, aut retentione, aut doloroſa, aut nimia excretione, et quae ſunt alia. In prolapſibus et herniis, praeſertim incarceratis, ſi abdomen et annulus, per quem elapſae ſunt partes, eo inungantur, non ſine fructu fuit. Saepiſſime enim partes prolapſae & annulus ſpasmo ſunt conſtrictae, relaxando vero reſiſtentiam minuit, et repoſitionem promouet et adiuuat. Oſſium etiam repoſitionem, ſi e ſede ſua pulſa ſunt, promouet, et reſiſtentiam fibrarum a contractione, tenſione et duritie pendentem, doloresque inde ortos mitigat. Auxilium praeſtat ad partum ab effuſis iam dudum aquis et exſiccatis inde genitalibus, vt partus minori cum difficultate et incommodo facilius et celeriter fiat. Inſtrumenta etiam et digitus, qui cauitatibus corporis immittuntur, vtiliter oleo inunguntur.

Inflammationes cum ſpaſmo et dolore ſunt coniunctae, et a ſpaſmis ſaepius oriuntur. Oleum igitur in inflammationibus ſummo cum fructu adhiberi poteſt, ſi non adſunt, quae eius vſum diſſuadent. Hippocrates, Coelius Aurelianus, Forestus, Sennertus, Schenkius, Triller aliique magni nominis medici in angina, phrenitide, pleuritide, peripneumonia, ventriculi, hepatis, inteſtinorum, vteri et veſicae inflammatione oleoſa felici cum effectu adhibuerunt ope ſpongiae vel panni madidi applicata, vel inuncta, vel clyſteris for-

ma interne data. In pleuritide et peripneumonia olei olivar. vel amygdalarum dulcium vſum magnis extollunt laudibus, vel interne dati, vel pectori inuncti, cum ab eo dolores fuerint ſedati, et bona inſecuta expectoratio. In *Weſtphalia* SCHROEDERO teſte vſitatiſſimum eſt pleuritide laborantibus oleum oliuarum cum cereuiſia calida mixtum porrigere, donec ſudores oleum redoleant *c*). Et vbi in copia haberi poteſt, adhibetur in balneis contra febrim hecticam, atrophiam nimiam et tabem corporis, in calculo et nephritico dolore, vt laxentur et humectentur viae, et inde pateat calculo exitus, doloresque ſiſtantur, praeprimis cum oleum externe vim habeat anodynam *d*). In forti ſtranguria ſemicupium factum ex oleo oliuarum dolorem remouet et vrinam prouocat. ARETAEUS lumbos iuxta renum ſedem oleo perfundi iubet, cui ruta iniiciatur „inunctio„nes ait parum profunt. Homo & in oleum demittendus eſt, „id enim ſimul omnia praeſtat *e*).„ Sed et calculi effectus, ſi per oſtia vrethrae iniicitur, ſpaſmos, doloresque ab inflammatione mitigat *f*).

Inter praecipuos, quibus oleum ſeſe commendat ſalutares in corpus noſtrum effectus, militat quoque illa virtus, quod induratas praeter naturam partes emolliat. Quare rarius quidem ſolum, tanto frequentius autem aliis emollientibus iunctum adhibetur, neque vllum fere *vnguentum*, vllum *emplaſtrum*, *ceratum* aut *linimentum* eſt, in quo oleum hoc egregium vſum non praeſtaret. Olea cocta et infuſa, clyſmata emollientia et demulcentia fere omnia ingreditur. Adverſus ambuſta MYNSINCHT vnguentum ex ol. oliuarum (part 1.) et album. ouor. (p. 2.) conquaſſatis et exacte inter ſe mixtis, magnis laudibus extollit, vt medicamentum praeſentiſſimum et praeſtantiſſimum. Ad ſuppurationem promouendam, maturandosque abſceſſus plurimum facit,

c) *Theſaur. pharmaceut. T. I.*

d) BOECLER *Cynoſ. M. M. Cont. 1. p. 291.*

e) *De curat. acutorum et diuturnorum morborum. Oxoniae 1723. p. 164.*

f) MEAD *in Comment. de rebus in med. geſtis T. IV. p. 58.*

facit, vafa enim et fibras relaxando feri lymphaeque affluxum auget. Aërem arcendo dolores a fiffuris labiorum, mammarum aliisque corporis partibus optime lenit. Efcharae quoque fine dolore feparationem efficit, excoriationem, inflammationem et gangraenam praecauet. Vlcera adeo chronica, aliaque vitia externa olei oliuarum ope feliciter fanata legitur *g)*.

Oleo etiam vis antiputredinofa tribuitur. Obferuauit Rozier carnes intra fictilia ampla illi immerfas diu a putredine feruatas effe *h)*. Quae vero virtus fi oleo adiudicatur inde certe proficifcitur; quod aërem ad putredinem neceffarium arceat, neque vis ifta de oleo intus ingefto praedicari poterit. Saepius vero vis ifta poros claudendi oleorum vfum nimis noxium reddit, in morbis praecipue, qui miasma pro caufa habent *i)*. Ill Medicvs in febribus pertinaciffimis intermittentibus oleum oliuarum cum fpiritu falis ammoniaci et laudano liquido Sydenh. iungi iuffit, faepius tamen fucceffu non refpondente *k)*. Percival in gutta ferena a paralytica retinae affectione oleum oliuarum cum fpiritu falis ammoniaci et calce viua ad partem affectam, adhibuit, et in angina inflammatoria unguentum ex olei oliuarum part. 2. et fpiritus C. C. volatilis part. 1. cum panno afpero collo applicauit *l)*. Quibus variis connubiis nunc augetur, nunc alteratur, minuiturue olei virtus. Quaedam mulieres ad menfes promouendos et dolorificos mitigandos oleum oliuarum affumunt, in quo crocus per noctem infufus fuit *m)*.

In tuffi nimia mitiganda oleorum non ultima laus eft, fi interne adhibeantur. Cl. Armstrong in tuffi infantum rheumatica fine febre oleum oliuarum cum lixiuio falis tartari, faccharo et aqua mifcuit, et eius ope tuffim nimiam mitigauit, expectora-

g) *Mem. de l'acad. de Chirurg. T. V.*

h) *Obf. fur la phyfique 1771. Sept. p. 76.*

i) Aetivs *Serm. X. c. 28. p. 244.*

k) *Beobachtungen. B. I.*

l) *Effays T. III. p. 115. Sammlung auserlefener Abhandlungen für practifche Aerzte B. IV. p. 132.*

m) Boecler *l. c. p. 291.*

ctorationemque promouit n). Eadem ratione oleum fluxum haemorrhoidum et mensium suppressum restituit, si a spasmo vasorum fluxus haemorrhoidum, mensium et lochiorum impeditur. In referandis alui obstructionibus in auxilium vocatur, siue magna satis copia per os assumatur, siue per anum iniiciatur, excrementa mollia, et ad motum apta reddit. Senibus itaque commendatissimum est. Ventri inunctum eundem laxat, et dolores colicos mitigat: stranguriam, dysuriam, ischuriam lenit, et in catalepsi, tetano, trismo, morbisque innumeris aliis, qui spasticis annumerari solent, egregiam habet vtilitatem. Largiori copia sumtum, vt alia pinguia, emesin facile creat. Borellvs micam panis leniter torrefactam, et oleo oliuarum largiter irroratam, matutino tempore aluum laxare testatur o). Interne vero raro solum medico scopo adhibetur, cum oleo amygdalarum gratia cedat. Saepius tamen praeferri meretur, cum vbivis prostet. Sumitur vel cum iusculo carnium aut auenaceo, siue cum vitello ouorum, gummi arabico vel tragacantha subactum, vel salino quodam in saponem conglutinatum, vel saccharo, manna aut lubricante alio in electuarii speciem redactum, vel vino, succo citri vel limoniorum aut aqua aromatica mixtum.

Trutinandi sunt morbi peculiares, in quibus oleum oliuarum excellere dicitur. Solemne erat veteribus in hydropis variis speciebus oleum nunc purum, nunc teste Galeno, Celso, Aetio calefacientibus mixtum, aut sale temperatum, vel manu nuda, vel linteis asperioribus inungere. Nostris temporibus a magni nominis viris L. B. a Störck, Medico, Tissoto al. renouata et in imitationem tracta methodus varium euentum ostendit. Quae omnia suspicionem potius iniciunt laudis partem maximam frictioni esse tribuendam, qua tenax liquidum atteri-

n) *Saml. auserlesen. Abhandl. B. IV. p. 113.*

o) *Hist. et obseruat. phys. med. p. 94.*

atteritur, ſtagnans mouetur, vaſorum oſcula concutiuntur, reſorptio promouetur, attractio humorum ex aëre impeditur frictionisque effectus, excoriatio, inflammatio, gangraena praecauentur, neque certum vbiuis neque tutum eſſe auxilium *p*).

Et in dubium merito vires in eneruando morſu viperarum ſerpentumue, ab OLIVERIO *q*), homine rudi, primum enunciatae, vocandae ſunt, cum de effectu olei teſtimonia tam diuerſa ſint, nec omnibus ſauciatis ſolatium attulerit *r*). Symptomata quidem veneni, nauſeam, vomendi conatus, tremores artuum, totiusque corporis conuulſiones et mutationes reliquas a tenſione fibrarum et nimia veneni in fibras actione contingentes, lenire poteſt. Nulla vero in eneruando veneno virtute ſpecifica praeditum fuiſſe teſtatur auxilii inconſtantia, et quod axungia viperina, oleum ſcorpionum et ſalia alcalia volatilia opem tulerint *s*). Plura deſuper a GEOFFROY, HUNAULD *t*), BROGIANI *u*) et Ill. LINNE' *x*) experimenta in columbis, anſeribus, vaccis, canibus, equis, variisque animalibus aliis inſtituta, nil certi docuere, cum quaedam eorum ſanitatem receperint qui oleo non inungebantur, aliaque inuncta mortua iacuerint. REDI praeterea affirmat, oues, canes, pullos gallinaceos ſe curante demorſos a viperis, paucos ante dies in campis ſole ardentiſſimo captis, non eſſe mortuos. Quae argumentari liceant viperarum morſum non omnino lethiferum fuiſſe

p) Cfr. *Apparat. M. Vol. II. p.* 46. Ill. MURRAY praeceptoris ſumma obſeruantia venerandi.

q) *Philoſ. Tranſact. Nr.* 443. *Phil. Tranſact. abridged, Vol. IX. P. III. p.* 60.

r) *Schwed. Acad. Abhandl.* 1778. *p.* 89. *Fränkiſche Sammlungen, B. I. p.* 491. *ſeq.*

s) *Samml. auserleſen. Abhandl. B. I. St.* 2. *p.* 129. *B. II. St.* 2. *p.* 115.

t) *Mem. de l'acad. des ſc. annee* 1737. *p.* 183.

v) *De veneno animantium, Florent.* 1752. 4.

x) *Amoenit. acad. Vol. II. p.* 407. *Vol. VI. p.* 223.

fuiſſe *y*). Aut ſi oleum oliuarum venenum debellauerit, ad communem potius vnguinoſorum virtutem effectus reuocandus videtur, cum inuoluendo et lubricando ſpaſmos ſopierit, venenique vim innocuam reddiderit *z*). *Cel.* PLENK oleum hoc venenum viperarum anglicarum tantum infringere perhibet, gallicarum contra ſalia alcalina volatilia, et ſuecicarum folia fraxini; ſic quoque aliarum terrarum viperis alia opponit ſpecifica *a*).

Rabiei caninae, duplici caſu a *Cl* BOENNIKEN curatae, meritum oleo oliuarum vix tribui poteſt, cum interna & externa remedia alia ſimul in auxilium vocabantur *b*). Haec certe ſalutaris aduerſus animalium venenatorum et rabidorum morſus efficacia, non oleo oliuarum ſolum, ſed aliis etiam oleis expreſſis competit. In vulneribus ab inſectis, apibus, veſpis rel. inflictis commendatur, acrimoniam veneni inuoluendo. In ſpaſmis praeterea atque torminibus a venenis cauſticis, et corroſiuis mineralibus, et quacunque alia materia acri, erodente atque corroſiua productis proficuum reperitur *c*). Vires medicamentorum exulcerantium v. c. cantharidum al. hebetat, excoriationes faucium, inteſtinorum, oblinit, veneni vires et ingeſta acria obtundit, eneruat, dolores, tormina, ſpaſmos ſtricturamque inteſtinorum ſoluit et mitigat. In venenis vero ſtupefacientibus et narcoticis nocet, ad quae frangenda non obliniente opus eſt, ſed irritante et excutiente.

Reſtringendus nimius oleoſorum vſus internus. Talis eſt enim eorum proprietas, vt quotieſcunque multum caloris adeſt in corpore, breui depoſita emolliente et demulcente vi, rancidam acquirant acrimoniam, veriſſimumque hic adagium

oleum

y) *Obſ de viperis p.* 52.

z) *Appar. Med. T. II. p.* 51. *ſeq.*

a) *Materia chirurg. p.* 57.

b) *Fränkiſche Samml. l. c.* Fr. *Geſchichte und Verſuche eines chirurgiſchen Privatgeſelſchaft zu Copenhagen Copenhag.* 1774. *p.* 56.

c) CARTHEUSER *M. m. p.* 159. UNZER *l. c. p.* 374.

oleum igni addunt d). Praecipue illorum vſum in biliofis morbis in quibus pingue abundat, et bilis flaua gignitur HIPPOCRATES valdopere diſſuadet *e).* Monuit GALENUS ſuo aeuo plures fuiſſe de vſu olei controuerſias; quod alii acre et calefaciens, alii demulcens credebant, idque ex varia conſtitutione corporum, quibus ingeritur, dependere docuit *f).* Medici Itali in morbis inflammatoriis et biliofis putridis oleofa in auxilium vocare ſolent, obſeruauit vero *Bianchi g)* poſt exhibitum in iure oleum intenſiorem in poſterum febricitationem, et merito vſum eorum reprobat Ill. MURRAY *h).* TISSOT ſaepius teſtis fuit, quantum vitari debeat oleum, vbi focus caloris eſt illa ipſa pars, cui applicatur, vbi putridum adeſt fermentum illius corruptionem iuuans, vbi metus eſt obſtructionis hepatis, cui valde fauet *i).* Vidit vir Ill. ſaepius olea corporibus nec putrido nec inflammatorio morbo laborantibus, praeſcripta, ſcopo irritatos neruos demulcendi et laxandi, oppoſitos obtinuiſſe ſucceſſus. Senſationem enim caloris, acrimoniae, doloris in inteſtinis inducebant, appetitum delebant, et aluum adſtringebant, tum ob acrimoniam propriam ex rancore ortam, tum ex peruerſa natura bilis, et huius actione in inteſtina impedita. Repudientur ergo olea, quotieſcunque bilis, putredo, calor et laxitas adſunt, caute alias praeſcribantur *k).*

Sedimentum, quod in oleo modo expreſſo fundum petit *amurcae* nomine, externe adhibitum, ad paralyſin et dolores a cauſa frigida, rheumatiſmum, malum iſchiadicum, et in arthriticis et podagricis affectibus laudatur *l).*

 Quod

d) TISSOT *de febre bilioſ. Lauſanenſi. p. 53.*
e) Epid. L. VI. Sect. 6. Foeſ.
f) De ſinpl. medicam. facult. Lib. II. Cap. XVI. p. 45. ſeq. CHARTERII.
g) Hiſt hepatica P. III. p. 696.
h) Apparat. Med. Vol. II. p. 48. BAGLIV *oper. med. p. 394.*
i) l. c. p. 54. ſeq.
k) van SWIETEN *Aphor. 35. p. 46. Aphor. 88. p. 127. de* HAEN *rat. med T. II. p. 204.* SARCONE *Geſchichte der Krankheiten in Neapel Th. I p 141-251 ſeq.*
l) DIOSCORIDES *M. m. L. VII. c. 134.*

Quod veteres de *oleo omphacino*, quod ex oliuis immaturis exprimitur, differunt, pro chimaera habet LEMMERY, quoniam nullum exinde poteſt obtineri oleum, ſed tantummodo ſuccus viſcoſus. Ii, qui oleo conciliare volunt virtutes omphacino adſignatas, nempe adſtringentes, ventriculum roborantes, gingiuas contrahentes, dentes firmantes, ſudores cohibentes, refrigerantes atque ſiccantes, ii ſummitates rubi, quercus, lentiſci, caprifolii et roſas rubras incoquunt, ſicque obtinent oleum omphacinum artificiale. Interdum etiam ſuccus vuae immaturae, ſeu de agreſta, oleo omphacino ſubſtituitur *m*).

§. 7.

Oleum amygdalarum dulcium ex nucibus *Amygdali communis L.* prelo torquetur, ope plerumque caloris *n*). Color olei recentis limpidus eſt, ſubflaueſcens, ſapor dulceſcens mitis, ſiue amygdalae dulces, ſiue amarae ſint. Ad dimidium fere totius ponderis oleum obtinetur. *Cl.* DEHNE ex amygdalar. libr. 24, olei libras 9½, elicuit, libr. 30. amygdalar. libras 12½. 12. 13. 14. et libr. 60 olei libras 22. 24. 25. *o*). Abundant enim amygdalae partibus oleoſo vnguinoſis, cum mucilaginoſis et terreis, paucisque ſalinis acidulis conjunctis. Neceſſe vero eſt, vt amygdalae ſemper quam recentiſſimae ſint, cum ob nutrimenti abundantiam a variis inſectis auidiſſime petantur, vt itaque quae a vermibus eroſae et confractae ſint reiiciantur. Facillime in rancorem abit, praecipue ſi prelo nimis calido erutum ſit, et frigore 8. grad. Fahrenh. cogitur. Accenſum flamma flagrat lucida, haud parum fumi et fuliginis ſpargente.

Oleum amygdalarum dulcium per retortam multoties deſtillatum plurimum humoris aquei, acris, vel acidi vel alcalini vri-

m) BOECLER *l. c. p.* 290.

n) Ill. MURRAY *App. Med. III. p.* 33.

o) CRELL *chem. Iournal* I *Thl. Vol. III. p.* 253.

vrinosi disiicit, aliquantulum capitis mortui nigri, in retortae fundo, relinquendo, ita vt totum oleum per iteratas destillationes conuerti videatur in terram nigram, aquam, et aliquam salis vel acidi vel alcalini urinosi portionem admodum exiguam *p*). *Saporis gratia vnguinosis omnibus praestat, blandum, lubricans, inuoluens, relaxans, antispasmodicum,* ideo et frequentissime per os ingeritur. Dolores demulcet, partes exasperatas et erosas lenit, partum facilitat et ad dolores post partum conuenit. Puerperae statim post partum vel cum iusculo, vel cum syrupo violarum illud hauriunt, et cum syrupo de manna, de cichoreo cum rheo, vel cum saccharo penidio ad educendum meconium infantibus propinatur. Tormina infantum egregie sopit *q*) acidum inuoluendo, dolores nephriticos, colicos, lochiales, spasticos mitigat, alui obstructionem referat, stranguriam cet. lenit. Conducit in raucedine, faucium excoriatione, tussi aliisque pectoris affectionibus. HVXHAMVS ol. amygdalar. recens cum elixirio asthmatico et diacodio ad peripneumoniam post venae sectionem admodum proficuum reperiit, ad relaxanda nimirum vascula nimis constricta, et ad dolorem sedandum *r*). In tussi et raucedine non minus conducit, praecipue vero secundum FERNELIVM pulmones renesque lenit, hecticis et tabidis familiare est *s*). Datur interne in pleuritide, colica spasmodica ad stricturas dolorificas mitigandas *t*). In vltimo morborum pectoris stadio, si sordes eliminatae sunt febrisque aestus mitigatus, in peripneumoniis, anginis morbillosis cet. vbi sputa suppressa sunt cum syrupo pectorali, vel opiato aut mucilagine subactum egregie constitit. RIVERIUS olei amygdalarum dulc. et amararum partes anaticas ad dolores nephriticos sedandos magnopere com-

p) GEOFFROY *matiere medicale Paris 1743. T. V. p.* 130.

q) ROSENSTEIN *von Kinderkrankheiten Ed. IV.* Ill. MURRAY *p.* 43.

r) *Op. phys. med. ed. Reichel p.* 333.

s) *Vniuers. med. p.* 315.

t) TRILLER *de pleuritide p* 53. SYDENHAM *Op. Cap. de pleurit. p.* 265.

commendat, et cum fructu saepius ingessit *v*). In spasmis corrigendis horum oleorum vsus, etiam pro inungendo abdomine contra dolores hypochondriacos, spasticos, flatulentias cet. mulierculis notus est. Clysteribus admiscetur in fecibus induratis, ad tumores tonsillarum illinitur, perniones cum spiritu vini camphorato sanat *x*). Cum mucilagine, albumine vel vitello ouorum tritum ab aqua recipitur, et in emulsionem lactescentem abit.

Oleum amygdalarum vtrumque tam interne quam externe pro specifico antidoto contra varia venena, imprimis mineralia, obuoluendi causa magna copia vsurpatur, a variis etiam auctoribus contra venena vegetabilia et animalia ad vomitum producendum laudatur. PERCIVAL oleum amygdal. dulc. cum spiritu salis ammoniaci, camphora et oleo succini in deglutitione impedita a spastica ventriculi constrictione spinae dorsi infricari iubet *y*). Sic multiplici ratione variis additamentis subactum adhibetur. In eclampsia ab aluo obstructa praesentaneum solatium affert *z*), sed longiore vsu aut saepius repetito, ipsa intestina debilitat, viscidi et inertis pituitae generationem promouet. Vituperandus praecipue nimius oleorum in infantibus vsus, non tantum quod nouae obstructioni occasionem praebeat, sed quod TISSOTO teste mesenterii glandulas pertinaciter obturet, ex quo atrophia, rachitis, cutisque morbi innumeri ortum ducunt *a*).

Oleo amygdalarum vis etiam anthelmintica tribuitur, MARTEAU oleum cum puluere radicis squillae miscuit, eiusque ope saepius taeniam deiecisse affirmat *b*).

Resi-

v) *Op. med. Frcf. 1674. p. 416.*
x) HERRMANN *Cynos. M. m.* 310 *seq.*
y) *Essays T III. p 116. seq.*
z) ROSENSTEIN *l. c. p. 68.*
a) *Avis au peuple p. 216.*
b) *Samlung auserlesen. Abhandl. B. VIII. p. 573.*

Refiduum ab expreffione olei fub furfurum nomine abftergendis fordibus cutis inferuit, et ad manus poliendas cum oleo fragrante optime mifcetur.

§. 8.

Amygdalae amarae oleum edunt mite, dulcefcens, limpidiufculum, aeque ac quod ex amygdalis dulcibus premitnr. Refiduum vero poft expreffionem intenfam habet amaritiem, imo amygdala ipfa eft amarius *c*). Oleo itaque amarities neutiquam accrefcit, fed mucilaginofis et terreftribus partibus infidet, et ab aqua et fpiritu vini recipitur *d*). Librae 2 amygdalarum olei vncias 12 dederunt *dd*). Oleum amarum hac in re dulci antecellit, quod minus et tardius rancorem contrahat, cuius ratio effe dicitur, quia amygdalae amarae maiori falis copia praeditae fint, quod fermentationem et corruptionem avertit *e*). Flamma flagrat pura, lucida, paululum fuliginofa. Olei vfus internus plane innocuus eft. Auctore BOERHAAVE diurefin mouet, calculum et nephritidem curat, antipleuriticum eft *f*). In vrinae difficultate pubi etiam inungitur. Menfes pellit *g*). Sunt qui illud vfurpant ad neruorum dolores mitigandos, et infigne illis dicitur vulnerarium *h*). Vlcera capitis manantia et furfures cum vino detergit. Faciei maculas tollit, et a fole vftis medetur. Praecipue vero aurium tinnitus diffipare, et reliquarum partium comparatione auribus maxime prodeffe, aurium quoque vermes enecare AETIVS tradidit *i*). Contra furditatem a cerumine indurato inftillari folet, monuit tamen F. HOFF-

c) *Ill.* MVRRAY *l. c. Vol. III. p.* 15-.

d) PFINGSTEN *deutfches Difpenfatorium p.* 23.

dd) DEHNE in CRELLS *chem. Journal Th. III. p.* 33.

e) GEOFFROY *l. c. p.* 140. DARIES diff. *de amygdalis et oleo amarar. aethereo Lipf.* 1776. *p.* 11.

f) *Hiftor. Pl. p.* 681.

g) HERM. *l. c. p.* 374.

h) FERNELIVS *l. c. p.* 316.

i) *Tetrabibl. ed. Foreft. p.* 20.

Hoffmannvs eius vſum ſurditatem potius inducere, nimia ſcilicet membranae tympani emollitione.

Oleum Wepſeri acouiſticum ingreditur, cum cepis, millepedibus et felle taurino per biduum digeſtum *k*).

§. 9.

Oleum lini ex *lini vſitatiſſimi L.* ſeminibus prelo elicitur, coloris pellucido lutei, ſaporis pinguis, ingrati, nauſeoſi. Flamma flagrat fumante, fuliginoſa, foetida. In frigore ſaeuiſſimo non congelaſcit, attamen vel tum aeque frigidum eſt, ac glacies frigidiſſima *m*), et in rancorem facile degenerat. Ex ſeminum lini libra 1 olei expreſſi vnc. 2½ obtinentur *n*). Communes cum oliuarum et amygdalarum oleo in eo habet virtutes, quod reſoluat, mitiget, affectionesque omnes a ſtrictura et ſpaſmo tollat. Medici vero priuas quasdam illi tribuere ſolent, et his potiſſimum immorabor, ne repetitione lectori taedium moueam. Oleum lini recens iam a veteribus Dodonaeo, van Swieten et aliis, in paſſione iliaca laudatum fuit, poſtea vero Cl. Gallesky de praeſtantia eius diſſeruit, experimentisque pluries repetitis commendationi fidem fecit *o*). Ileum nimirum a quacunque cauſa ortum, aluique obſtructiones pertinaciſſimas ſaepius duobus vel tribus cochlearibus, veſperi ante cubandi tempus propinatis ſoluit. Interdum vero clyſmata emollientia, balneaque tepida ſimul adhibebantur, ſanitas tamen poſt 4 vel 8 huius olei vncias plerumque recuperata eſt. Cel. Lentin eosdem olei in ileo et obſtructionibus effectus teſtatur *p*), Brüning vero

k) Klein *ſelect. rat. med. p.* 149.

l) *Ill.* Mvrray *l. c. Vol. III. p.* 414.

m) Boerhaave, *El. Chem. T. I. p.* 106.

n) Bergivs, *M. m. p.* 249. Spielm. *l. c. p* 100.

o) *Abhandlung vom Miſerere oder von der Darmgicht Mietau* 1767. *p.* 35. *ſeq.* 73. 79. 84. *ſeq.*

p) *Beobachtungen einiger Krankheiten p.* 149.

vero ſaepiſſime nihil eo profecit, conquerens, oleum nauſeam vomitusque creaſſe, et aluum pertinaciſſime clauſam manſiſſe *q*). Vtiliſſime oleum lini in voluulo propinatur, vna cum balneis tepidis frequenter adhibitis; ſaepe in hoc morbo purgat, quando draſtica fallunt *r*). Abdomini illitum lochia retardata et ſecundinas pellit *s*). Imprimis in pleuritide lateri dolenti illinitur, vel per ſe, vel cum camphora iunctum *t*). Prodeſt etiam ad pterygium oculis inſtillatum, imprimis dolore colico vexatis et in liene duro *u*).

In grauioribus pectoris inflammationibus laudibus iisdem celebrata inſignis olei lini praeſtantia. SYDENHAM pleuriticis oleum intrinſecus obtulit, non vero alia praeſidia, venaeſectionisque opem neglexit *x*). BAGLIV oleum multis nominibus commendat, quia oleoſa ſua ſubſtantia pulmonum fibras inflammatione contractas criſpatasque laxat, et in priſtinum reſtituit *y*). Haec eſt ratio, quare oleum lini vel aliud ſimile, ad libram vnam aut alteram potatum, in periculoſiſſimis ſpaſticis conuulſionibus, ructu et flatibus, vbi iamiam gangraena imminebat, ex ipſis orci faucibus toties homines eripuerit *z*). In pleuritide maligna et contagioſa ob pinguedinoſam iſtam naturam ad vnciam vnam vel maiore quantitate adhibitum fuit cum effectus ſpem non fefellerit *a*). DE HAEN eius ope febres inflammatorias debellauit, cum largae eius doſi opium immiſceret *b*). In haemoptyſi non minus

q) *Samlung auserleſen. Abhandl. B. III. p. 308.*

r) BERGIVS *l. c. p. 249.*

s) HERM. *l. c. p. 429.*

t) NEVMANN *praelect. chem. p. 277*

u) ALSTON *M. m. Vol. II. p. 360.*

x) *Ope Cap. de pleuritide.*

y) *Prax. Med. L. 1. p. 38.*

z) *van* SWIETEN *l. c. Vol. II. p. 242.*

a) *Eph. nat. curioſ. Dec I. Obſ. 216.* CONRADI GESNER *epiſt. L. I. p. 40. ſeq.*

b) *Ratio medendi T. 1. p. 114. II. p. 126. X. p. 106.* VNZER *l. c. p. 607. Iournal de medicine Vol. XVII. p. 227.* GRASHVIS *de colica pictonum p. 48.* Colica pictonum primo anodyna expoſcit, dein demulcentia, tertio roborantia, et hisce ſolis aliquando curatio integre abſoluitur.

minus efficacem se praestitit, colicam pictonum et tormina dysenterica vi eius lubricante, anodyna et mitigante compescuit, qua de causa clysmata, vnguenta, emplastra linimentaque varia ingreditur. Oleum lini cum terra iaponica et sigillata exhibitum, in dysenteria arcanum habitum *c)*. Externe haemorrhoidibus illinitur, et cum calce viua destillatum paralysi medetur. Neque silentio praetereunda est vis olei anthelmintica, hanc vero, et quae sparsim apud auctores extant, Ill. MVRRAY abunde excussit *d)*.

§. 10.

Oleum brassicae napi L. vulgo *raparum* insipidum est, pingue, flauum. Flamma flagrat fumante, nidorosa, foetida. In frigore a grad. 16. Therm. Fahr. coit, et vti vnguinosa omnia rancorem assumit. Seminum napi tonna 1. olei congios 6 ad 7 dedit *e)*. Lucernis potissimum inseruit, ex penu medicorum exul. Impia vero et sanitati maxime perniciosa fraude oleum lini et raparum plumbi ope eo adducere tentant, vt oleo oliuarum substitui possint. Oleum etiam oliuarum adulterari solet oleo raparum vel lini, scilicet dum haec olea ope plumbi, vel in vasis plumbeis, vel alia ratione cum plumbo tractata, ad indolem olei oliuarum eleuantur. Detegi tamen fraus ipsa potest, si vel minima subsit veneni huius suspicio, vel affundendo soluto in aqua pura et per chartam traiecto hepate sulphuris, vel si nonnullae guttulae liquoris vini probatorii ab auripigmento et calce viua cum aqua praeparati cum huiusmodi mangonisatis oleis misceantur, et conterantur, vnde si quid plumbi inhaereat oleum nigrescit, vel denique accendendo oleum, quo flamma consumto, si plumbo oleum adulteratum fuerit, plumbi granulum remanebit *f)*. Melius vero oleum in blandam indolem reducitur

c) HERM. *l. c. p.* 43(.
d) *l. c. p.* 488. *seq.*
e) LIEDBECK *Schwed. Acad. Abhandl. B.* 18. *p.* 82.
f) WALLERIVS *l. c. p.* 144. LEHR *diss. cit. p.* 20.

ducitur *fermentatione* ope pomorum, ceraforum, cydoniorum cet. *g*) vel fi cum aqua fimplici abluatur, quibus artificiis non tantum mordacitatem exuit, verum etiam candidius inde redditur *h*). Cl. STRVVE arenam aquae addere iubet cui particulae mucilaginofae, foetidae inhaerere poffint, aquam identidem mutando, donec nullus fapor et odor ingratus fuperfit *i*). Lixiuium, e cineribus clauellatis et calce viua paratum, idem praeftare lego *k*).

§. 11.

Oleum ricini, palmae liquidum, palmae Chrifti, (*Caftor oil*) a feminibus *cataputiae maioris*, quod nomen eft feminum *Ricini communis L.* obtinetur *l*). Semen maturum colligitur pingue, ab externis integumentis purgatum, in mortario contundunt, et cum aqua in pulmenti fpeciem redigunt, donec oleum aquae fupernatet, quod demum colligunt. Alii oleum preffione eliciunt, ab igne autem acrius redditur. Iamaicenfes femina contufa coquunt, atque oleum plerumque coctum adhibent. Coctione vero hac ita mitefcit, vt vnc. 2 3 fine metu nimiae alui folutionis dari poffint. Ex feminum ricini libr. 10 coctis et infufis, olei libr. 1 obtinetur. Vnciae 14 expreffione in prelo leniter calefacto dederunt ol. expreffi vnc. 3. Aliis tentaminibus vnciae 6 largiebantur, fecundum Cel. SPIELMANN, $\frac{1}{7}$ *m*).

g) *Almanach für Scheidekünftler 1781. p. 119.*

h) GALEN. *de fimpl. med. fac. L. II. c. XV.*

i) WIEGLEB *Handbuch der Chemie Th II p. 563.*

k) *Almanach anno cit. p. 124. feq.*

l) BERGIVS. *l. c. p. 771.* FVCHSIVS *de oleo ricini adulterato et vero cet. Ienae 1782.* HVNGERBYHLER *de oleo ricini medicamento purgante et anthelmintico Friburgi Brisgov. 1780.*

m) *Mat. med. p. 479.*

Oleum ricini sincerum (recenter vel expressum vel coctum) turbidum est, spissiusculum, odore fere violaceo, insipidum, pingue. Semina vero pellicula ambit intense amara, quae, ni sollicite decerpta sit, fauces exurit, oleo saporem mordacem conciliat, corporique ipsi noxas affert, cuius memorabile exemplum Bergius tradidit. Cl. Odier distinguit inter blandum et escharoticum (huile de pignons d'Inde) ricini oleum n). Aetate magis spissatur, consistentia mellis recentis, coloris, rubicundi, saporis nauseosi, cannabini. Frigore a grad. 8 Fahrenh. cogitur, et accensum flamma flagrat pura, lucida, non fumante.

Veteres oleum medicinae instar dudum adhibuerunt, et Fuchsius perhibet omnia quae sparsim apud Dioscoridem, Galenum, Aetium, Mesuen, Serapionem cet. de oleo cicino exstant, haec de nostro oleo dicta esse. Recentioribus temporibus primus omnium Cl. Fraser oleum ricini in usus vocauit, dein Canvane p), Dunant, Odier, Bergius al. qui commendatione sua famam illi maximam conciliarunt. Omnibus tamen caeteris oleum hoc palmam praeripere putarunt primum, quia leniter et facile purget, deinde quod minore quantitate ingestum votis respondeat, intestinorumque contenta omnia eliminet, denique quod anthelminticum sit, imprimis in verme lato. Alia plantarum olea eiusmodi effectum non praestant. Percival vim quandam leniter irritantem inesse contendit, ideoque omnibus praeferendum censet. r).

In variis itaque ventris renumque affectionibus, doloribus colicis, febribus biliosis, acutis et inflammatoriis multis laudibus inclaruit. In colica sicca, initio dysenteriae, abdominisque doloribus crudelissimis maximum solatium attulit. Et in diar-

n) *Samlung auserlesen. Abhandl. B. V. p. 233.*

o) *Medical obseruat. and Inquiries Vol. II. p. 235.*

p) *Diss. on the Oleum palmae Christi, London 1769.*

q) *Iournal de Medicine 1778. Ianvier p. 44. Avril p. 331. Mai p. 415.*

r) *Essays T. I. p. 249. seq. 701. seq.*

diarrhoeis ab impuritatibus primarum viarum optimum eſſe vidit ODIER. *Cl.* HOME oleum commendauit in diarrhoeis, quae morbillos comitantur, et pectori prodeſſe perhibet *s*). Acria praeterea corrodentia obtundit, venenique vires optime frangit. ODIER magnis laudibus extollit oleum ad ſedandos dolores ab arſenico aſſumto, ſic teſtante ODIER, PERCIVAL, VNZER al. in colica ſaturnina egregie conſtitit, tormina leniuit, vomituritiones mitigauit, aluumque deiecit. *Cel.* SELLE oleum etiam in aſthmate laudauit, quod a vaporibus ſaturninis oritur *t*) In ileo aluique obſtructionibus pertinaciſſimis ſummum remedium praedicatur. Hiſce accedit quod narrante ODIER larga copia hauſtum vomitum non creet. BERGIUS oleum in voluulo, calculo felleo, aliisque affectionibus variis, vbi vomitiones cum ſingultibus vrgebant recenter expreſſum identidem exhibuit, vomitus ſedauit, ſingultus compeſcuit, aluumque ſoluit. Sic non ſolum leuamen, ſed et curatio perfecta inſecuta eſt. Non defuere tamen viri et ingenii ſagacitate, et fide, conſpicui, qui priuam hanc olei ricini potentiam ſe obſeruaſſe negant. LEWIS enim oleo praerogatiuas virtutes plane omnes abiudicat. Et largiar facile, quandoque in obſtructionibus pertinacioribus nihil illud effeciſſe. Non defraudandum tamen laude ſua innuit PERCIVAL, remedia quippe optima quaeque ſubinde fallere, interdum etiam id a mangonio dependere, praecipue vero genuinum eſſe oleum, ſi leni quadam vehementia ventrem ſollicitet. Datur oleum vel per ſe, vel cum g. arabic. ſubactum, vel cum ſucco citri, limoniorum, vino aut aqua aromatica mixtum, et a drachm. 1. 2. doſis ad vnc. 2. 3. aſcendit. modo vt lene purgans, modo vt draſticum adhibendum eſt. Infantibus aeque ac grauidis tuto propinari poteſt, in omnibus puerperii febribus, ſcirrho, haemorrhagiis, conuulſionibus, herniis incarceratis, enteritide, vteri renumque exulcerationibus: vſum vero in febribus

 bilio-

s) *Clinical eſſays p. 109.* *t*) *Medicina clinica p. 530. ſq.*

biliofis, putridis probare nequeo. *Cl.* HUNGERBYHLER oleum fummis extollit laudibus in haemorrhoidibus, atque teftem habet ODIER. CANVANE in febribus acutis commendat, et illud *Antimonium vegetabile* nominauit. In neonatis adhibetur ad meconium pellendum, cum per fe, tum cum fyrupo de cichoreo c. rheo mixtum. Aethiopes in lue venerea eo vtuntur. Fugiendum eft in indigeftione ventriculi, apoplexia, afthmate humorali, diabete, fluxu coeliaco, herniis non incarceratis. Externe adhibetur ad mammas, in herpete et tinea infantum, cum melle, vitello ouorum, fapone al. in cataplafma redactum.

Reuertor iam ad fpecialiorem olei ricini vim anthelminticam. *Cl.* HUNGERBYHLER contra taeniam, lumbricos, afcarides lumbricoideos et trichurides ROEDERERI vim habere confirmat, et vnc. ½. 1 2. dari iubet. ODIER oleum ricini commendauit aliis praefidiis fruftra adhibitis, et omnis taenia inde eliminata eft. DUNANT eius ope faepius taeniam deiecit, interdum tamen puluerem radicis filicis in auxilium vocauit. Vnciae 3. per vices captae taeniam faepius fugarunt, et intra dies plerumque 2 ad 10. In taenia poft horam fumto remedio Nufferiano, haemoptyfi, vertigine, affectibusque innumeris aliis a taenia profectis commendatum eft. CUSSON puluerem radicis filicis cum mufco corallino dedit, fuperbibita omni trium horarum fpatio olei ricini vnc. ½. do- taenia pulfa fuit. GOUAN omni tertia, vel quarta die remedium purgans interpolauit *u*).

Nuculae catharticae, *grana tilli* (pignons d'Inde) *Crotonis tiglii* L. fiue *Ricini indici* femina oleum expreffum dant *x*) acerrimum,

u) *Samlung auserlefen. Abhandl. B. III. p. 308. B. IV. p. 304. 476. B. VIII. p. 576. feq.*

x) BERGIUS *l. c. p. 769.* GEOFFROY *T. III. p. 281.*

rimum, cuius gutta vna vel altera purgat, quare etiam vſus frequentior externus eſt. In alui nimia adſtrictione vmbilicus eo inungitur.

Oleum cicinum ex ſeminibus *Iatrophae curcas* L. elicitur y) contuſo ſemine, dein in aqua cocto, et oleo innatante cochlearibus excepto. Haec eliciendorum oleorum ratio e ſeminibus et fructibus Indis admodum familiaris eſt, quippe qui nullam expreſſionem norunt, oleum praeterea hac ratione facilius elicitur. Oleum Dioscoridi dudum innotuit, et ab illo multum laudatur ad vlcera capitis manantia, vteri obſtructiones atque euerſiones, ad cicatrices foedas auriumque dolores. Interne vero potum aquas per aluum ducere, et lumbricos pellere, tradidit. Monardes magnam illi laudem tribuit in morbis omnibus ab humoribus frigidis prouenientibus, praeſertim in omnibus hydropis ſpeciebus ſi ventri inungatur, vel clyſmate iniiciatur, aut aliquot guttulae vino vel alio liquore exceptae ſorbeantur z). Efficacius ſubuenit ilei doloribus et articulorum morbis, ſtomachum, vterum et lienem obſtructionibus liberat inunctione. Aluum puerorum emollit illito toto ventre, et vermes pellit, ſi eius vna aut altera gutta e lacte aut iure pingui propinetur. Confert aurium doloribus et ſurditati, omnibus praeterea cutis vitiis, praeſertim faciei, varosque mulieribus plerumque infeſtos illitu expurgat.

Semina haec perinde ac ſemina ricini membrana tenuis obuelat, cui vis aluum deiiciendi inſidet. *Cl.* Bancroft a) in proprio corpore periculum fecit, et deprehendit ſemina innoxie edi poſſe absque metu purgationis, ſi iſta epidermide diſſepimentoque antea probe fuerint exuta. Nobis oleum vſu non venit, quandoquidem ſemina haec in noſtris officinis ſemper rancida ſunt et effoeta, paulo fortiora ſunt ſeminibus ricini vulgaris, aeque tamen tuta, in America maxime vſitata.

§. 13.

y) Bergius *l. c. p.* 774.
z) *Simpl. med hiſt. c.* 4. *in* Clusii *exotic. p.* 299.

a) *Naturgeſchichte von Guiana p.* 19. *ſeq.*

§. 13.

Oleum raphaninum ex *raphani* ſemine eodem modo quo cicinum oleum conficitur *b*). In reliquis ſimile cicino eſt, verum calidius, et tenuiorum partium *c*). Aegyptii ad obſonia illud recipiunt.

Melanthinum oleum easdem cum raphanino vires, conſimilemque praeparationem ſortitur *d*).

Oleum gnidicum ex *gnidio grano* fit decorticato ſemine atque contuſo. Potum, aluum ſoluendi vim habet. *Cel.* NEUMANN ex ſem. coccognidii vnc. 4 olei vnciam dimidiam expreſſit, quod amygdalarum oleo proxime accedebat *e*). Eodem quoque modo

Oleum cnicinum conficitur, quod noſtrates carthami vocant: Vis eadem, quae gnidico, et huic ineſt, ſed remiſſior f).

§. 14.

Seſami orientalis L. ſemina pulpam continent dulcem et oleoſam *g*), vnde, ſi torculari ſubiiciantur, oleum profluit, lini oleo ſimillimum. GALENUS vim illi tribuit emollientem, modice calidam *h*). Aptum eſt cibis, nam et ſaporis iucundi eſt, et facile concoquitur, aluumque ſubducit *i*). Conſiſtentia ſebum aemulatur, et in rancorem tardius degenerat, qua de cauſa ad praeparationem oleorum, quae odoris gratia fiunt, iam teſte AETIO adhibitum fuit *k*).

Myagri

b) DIOSCORIDES *l. c. p. 27.*
c) AETIVS *l: c. p. 20.*
d) DIOSCORIDES *l. c. p. 28.*
e) *Praeleſt. chem. p. 793.*
f) DIOSCORIDES *l. c. Oec. Nachrichten B. IV. p. 846.*
g) CARTHEVSER *M. m. T. I. p. 211.* NEVM. *p. 275. l. c.*
h) *De ſimpl. med. fac. L. VIII. c. 10.*
i) FORSK. *Flor. Aegypt. arab. p. 113.*
k) *Tetrabiblon p. 20.*

Myagri ſemen, ſi prematur, oleum effundit, lini vel raparum oleo ſuppar.

§. 15.

Oleum hyoſcyami limpidum eſt, mite, odore fatuo, pingui *l*). Frigore a grad. 16. Fahr. cogitur, facillime vero rancorem aſſumit. Flamma flagrat pura, non fumante nec fuliginoſa. Includit narcoticas partes, vt reliqua planta, vnde et merito inter anodyna et hypnotica refertur. Ad odontalgiam, dolores ſcorbuticos aliosque, laudatur. Paregoricum eſt, ſomnumque conciliat. Dolores haemorrhoidum lenit, vel ſolum, vel cum vnguento linariae mixtum. Vnguenta et emplaſtra varia ingreditur.

Nigella ſatiua L. oleum vnguinoſum et aethereum largiri dicitur *m*). Neumannus ex vnciis 2 ſeminis ſcrupulos 4 olei vnguinoſi elicuit. Commendatur in catarrhis et coryza, ſi naribus admoueatur, ſeu nares eo inungantur *n*). Forestvs oleum ad prouocandos menſes laudauit.

§. 16.

Oleum papaueris ſomniferi L. expreſſum amygdalarum oleo proxime accedit, ſapore dulci, blando, vnguinoſo, colore flauicante *o*). Seminum papaueris libr. 1 olei vncias 4 dedit *p*). Borrichius ex vnciis 16 vncias 9 obtinuit. Frigore non cogitur, facile vero rancorem aſſumit, et accenſum flamma flagrat lucida, non fumante. Communes oleorum omnium virtutes nec illi deſunt, emollit, lenit, demulcet, quocirca in ſtranguria, dyſuria, tuſſi et morbis huiusmodi inume-

l) Spielm. *l. c. p.* 83.
m) Ill. Murray *l. c. Vol. III. p.* 36. Spielm. *Pharmac. p.* 155.
n) Herrm. *l. c. p.* 230.
o) Ill. Murray *l. c. Vol. II. p.* 218.
p) Spielm. *l. c. p.* 84.

inumeris aliis proficuum reperitur. Adhibetur externe ad ardorem febrilem mitigandum, ſomnum conciliandum, et capitis dolores tollendos, fronti et temporibus inungitur *q*). Oleum frigide expreſſum in cibum non raro recipitur.

§. 17.

Semina ſinapis nigrae L. oleum edunt exprefsum, blandum et mite *r*). Inſipidum eſt, nec palmariae ſeminum ſinapis virtutis particeps. *Cl.* STORR ex libris 2 ſeminum, expreſſione frigida olei drachmas 2 obtinuit, *coloris dilute flaui*, et preſſione poſtea calida vncias 6 olei blandiſſimi, colore prediti *ex flauo viridescente et ſubnigricante s*). Neutrum cum ſale tartari tritum, vel leuiſſimum odoris alcalini veſtigium prodidit. Frigore a grad. 40. Fahrenh. cogitur, et accenſum flamma flagrat fuliginoſa, parum vel nihil nidoroſa. Contra acerrimos a calculo dolores optimo cum ſucceſſu oleum praeſcribi vidit BOERHAAVE *t*). Et omnino tum vſui medico, tum culinari magis accommodatum foret, ſi tutius absque rancoris metu aſſeruari poſſet; praeſertim cum ſaporis et odoris labe quacunque careat. Externe applicatur in paralyſi et affectibus frigidis *u*).

Sinapis albae oleum eiusdem virtutis eſt, coloris luteo viridis. Frigore a grad. 30. Fahrenh. cogitur, et altero tardius rancescit. Flamma flagrat non fumante nec fuliginoſa.

§. 18.

Oleum cannabis ex ſeminibus *cannabis ſatiuae* L. prelo elicitur. Color olei ſubuiridis eſt, ſapor cannabinus, pinguis. Seminum

q) FERNELIUS *vniuerſ. med.* p. 515. HERM. *l. c.* p. 438. NEUM. *l. c.* 277. GEOFFROY. *l. c. T. IV.* p. 339.

r) Ill. MURRAY *l. c. Vol. II.* p. 322

s) *Diſſ. de ſemine ſinapis in ſelect. opuſc. Sylloge III.* BALDINGER. *Vol. VI.* p. 248. LEWIS *M. m.* p. 544.

t) *Elementa chemiae* p. 38.

u) NEUM. *l. c.* p. 278. HERM. *l. c.* p. 308.

num libra 1. olei expressi vnc. 3. eroganit x). Frigore non coit, facile vero exsiccatur, et rancorem contrahit. Flamma flagrat lucida, parum fumante et fuliginosa.

Oleum cannabis emollit et ad ambusta conducit y).

§. 19.

Ex seminibus *Helianthi annui* L. oleum premunt incolae Americae mite, grati saporis, oliuarum oleo simillimum z).

Semina 4 frigida maiora citrulli, melonum, cucurbitae, cucumeris vncias 5 olei a) expressi dimittunt, ex vna seminum libra.

Semina *cucurbitae peponis* L. oleum fundunt dulce, subrubellum b). Seminum libr. 1. olei expressi libr. ½. largiebatur, commodum lampadum pabulum c).

§. 20.

Oleum fagi, exseminibus *Fagi syluaticae* L. exprimitur, mite, coloris lutescentis d). Frigore a grad. 30. Fahrenh. cogitur, et in rancorem facile denegerat. Seminum horum tonna 1 vix vltra 4 olei congios dedit e). *Cl.* Tozzetti ex libr. 100 seminum fagi libras 12 olei optimi, puri, limpidi, et olei paululum turbidi libras 5 expressit f). Ad oliuarum oleum

x) Spielm. *l. c. p. 83.*
y) Geoffroy *l. c. Vol. VII. p. 423.*
z) *Transact. of the american philosophical Society at Philadelphia Vol. I. p. 235.*
a) Spielm. *inst. chem. p. 84.*
b) Ill. Murray *Vol. I. p. 401.*
c) *Hist. de l'acad. des Sc a Paris 1719.*
d) Ill. Murray *Vol. I. p. 55.*
e) *Carthe*user *M. m. p. 147.*
f) *Schwed. Acad. Abh. B. 31. p. 80.*

oleum proxime accedit, et oeconomiae potiſſimum inferuit *g*). In Gallia et Germania plerumque, vt apud Goettingenſes in cibum, et ad acetaria recipitur. Flamma flagrat pura, non fumante.

§. 21.

Nuclei pini et piſtaciae oleo ſcatent, vt ex libra nucum 1 olei vnc. 5 obtineantur *h*). Herrmannus oleum recens expreſſum nucl. pini cum vino ad erigendam venerem laudauit *i*), facile cognoſcitur, vim hanc vix niſi vino tribuendam eſſe.

Oleum nucleorum perſicorum expreſſum in affectibus aurium, dolore, tinnitu, ſurditate et vermibus laudatur, temporibus illitum in agrypnia et cephalalgia commendatur. Haemorrhoidum dolores ſedat *k*).

Oleum e nucleis malorum armeniacorum expreſſum mirifice valere tradunt ad inflammatas haemorrhoides, et ad vlcerum tumores, ad loquelae impedimenta auriumque dolores. Ad aliquot vncias potum calculum pellit et colicos iuuat *l*).

Nuclei ceraſorum et *prunorum* ſimile oleum exhibent.

§. 22.

Nuces caſtaneae oleum nullum dimittunt. *Cel.* Spielmann preſſione ſuccum obtinuit, qui in fermentationem acidam tranſibat *m*).

Aeſculi hippocaſtani L. fructus oleum continent amarum, facile rancefcens. Frigore non cogitur, ſed flamma flagrat fuliginoſa, multum fumante *n*).

Nuclei

g) Franchevillë *in Mem. de Berlin* 1766. *p.* 11.
h) Spielm. *l. c. p* 84.
i) *Cynoſ. M. m. p.* 376.
k) Herm. *l. c. p.* 384.
l) Boecler. *Contin.* 1. *p.* 279.
m) Spielm. *Mat. med. p.* 119.
n) *Schleſ. patr. Geſelſchaft B. II.*

Nuclei Quercus nullum fere oleum expreſſum erogant, etiamſi ſero autumno colligantur. Quidam vero ſpiritum ardentem illis inhoſpitare contendunt *o)*.

§. 23.

Oleum nucum ex nucleis *Iuglandis regiae* L. exprimitur mite, dulceſcens, flauidum *p)*. Prope ad dimidium totius ponderis nucum iuglandum oleum obtinetur, amygdalino ſimillimum *q)*. Frigore ſaeuiſſimo non coagulatur, paululum vero ſpiſſeſcit, et a rancore non temere corrumpitur, niſi calidiore prelo euocatum fuerit, aut loco nimis calido reponatur. Flamma flagrat lucida, non fumante nec fuliginoſa.

In oeconomia multiplicis eſt vtilitatis. Commodum praebet apud ditiores lampadum pabulum, a quibusdam adeo in acetaria recipitur, et ad excipiendos colores pictoribus fabrisque lignariis eſt gratiſſimum. In re medica communes oleorum omnium effectus praeſtat, alias tamen virtutes niſi vere priuas poſſideat, hae tamen illi adiudicari ſolent. Sic ROBERTVS BOYLE oleum nucum vetus in calculo, aliisque viarum vrinae affectionibus ſpecifici inſtar laudauit. Alii oleum ad ambuſta praeſertim a puluere pyrio commendant *r)*, et HOFMANNVS tradidit *s)* mammillarum fiſſuras ob illo optime ſanari, quod etiam teſtatur KALM *t)*.

Noſtris temporibus in affectionibus corneae, praeſertim in leucomate laudatur, ſaepius etiam in leucomate totali praeſen-

o) BERGIUS *M. m. p. 743.*
p) *Ill.* MVRRAY *l. c. Vol. I. p 57.*
q) SPIELM. *Exp 12. p. 83.*
r) BOECLER *Continuat. p. 286.* GEOFFROY *l. c. T. VII. p. 120.*
s) *Clav. ad* SCHROEDER, *p. 136.* SPINDLER *praef.* BÜCHNER *diſſ. de nuce iuglande eiusque vſu medico Erford. 1743. p 38.*
t) *Schwed. Acad. Abhandl. B. 29. p. 63.*

ſentaneum auxilium attulit. Magis vero inclaruit olei virtus anthelmintica. Gallus quidam LA CHAPELLE oleum nucum contra taeniam primus commendauit, maiori quantitate, ad vncias ſcilicet duas vel tres epotum, addito vino alicantino, quod ſaporis gratiam conciliaret, et ſub hoc connubio intra tres dies plerumque taeniam deieciſſe affirmat *u*). DE FRANCIERE *x*). PASSERAT *y*), BIZET *z*), BOEHMER *a*) eosdem olei ſub dicto connubio effectus teſtantur, neque mirum eſt, cum per ſe olea vi vermifuga polleant, et in vino alicantino eadem vis reperta ſit *b*).

Oleum quod e nucibus iuglandum recentibus praeuia toſtione atque trituratione torquetur, ſi largius hauriatur, inebriationis ſenſum inducit *c*).

§. 24.

Coryli auellanae L. nuces olei vnguinoſi copiam fundunt ſui ponderis fere dimidiam, mitis, dulcescentis, limpidiusculi *d*). Laudatur ad dolores ſopiendos imprimis articulorum, interne ad acres defluxiones, et ad capillos augendos *e*). Frigore non congelaſcit, temporis vero tractu rancorem aſſumit. Flamma flagrat lucida, parum fuliginoſa, nec fumante.

Amenta coryli oleum edunt mite, ſaporis grati, oleo nucum vix inferius *f*).

§ 25.

u) *Samlung für practiſche Aerzte, B. VIII p.* 513.
x) *Rec. period. T.* 18. *p.* 416.
y) *Rec. per. T.* 6. *p.* 305.
z) *Iournal de medic. T.* 16. *p.* 214.
a) *Diſſ. de oleo nucum iugland. p.* 9
b) *Andry generat. des vers p.* 160.

c) KEYSLERS *neueſte Reiſen durch Teutſchland, Böhmen, Ungern, Th. I. p.* 166.
d) SPIELM. *l. c. p.* 75.
e) BOECLER *l. c. Contin. I. p.* 266.
f) *Berlin. Samlungen, B. VIII. p.* 602.

§. 25.

Oleum been, ex *Guilandiae moringae* L. nucibus obtinetur *g)* Limpidum eſt, album, odoris ſaporisque expers. Frigore a grad. 16. Fahrenh. cogitur *), et rancorem vix vnquam contrahit. Accenſum flamma flagrat pura, lucida non fumante nec fuliginoſa. Libra 1. nucum been olei expreſſi vncias 2½ largita eſt. CARTHEVSERUS 4 obtinuit *i)*; et GEOFFROY ex libris 8 cum drachm. 5 nucleorum, vncias 30½ olei flaveſcentis, limpidi fere inodori et inſipidi. Huius olei vnc. 12½ per retortam deſtillatae, igne per gradus aucto, praebuerunt primo olei ſubflaui partim limpidi et fluidi, partim coagulati et ſubturbidi, odore ſubtili, ſapore ſubdulci, cum quadam acrimonia linguam leuiter vellicante vnc. 8. drachm. 5. gr. 9. quod mercurii ſublim. ſolutionem non turbauit, heliotropii vero tincturam ex caeruleo in purpureum mutauit: deinde olei fluidi, colore fuſco, odore non diſſimili, ſapore tenui, ſubamaro acri vnc. 2. cum drachm. 3½ heliotropii tincturam intenſe rubram effecerunt Maſſae nigrae, firmae ac ſolidae in retorta reſiduae pondus fuit drachm. 2. colore variegato, mutabili, colli columbarum inſtar *k)*.

Oleum been. quod etiam a quibusdam oleum *glandium, balaninum*, nuncupatur, inuoluit, emollit, lubricat, diſcutit. In alui obſtructionibus pertinaciſſimis interne ſolatium attulit. Tinnitui aurium ſubuenit, ſcabritiem, lentigines, aliaque cutis vitia delet *l)*. Cicatrices ex variolis delet, ſi cum oleo tartari per deliquium et ſpermate ceti in linimentum miſceatur *m)*.

Cutem

g) Ill. MURRAY *l. c. Vol. II. p* 404.

h) SPIELM. *l c. p. 83.*

i) M. m T. I. p. 215.

*) Cl. *I. C.* WILCKE obſeruauit tenacitatem olei been vlterius ita increſcere, vt grad. 2. ſupra 0 inſtar muci tenacis in fila duci poſſet. BERGIUS *M. m. p* 345.

k) GEOFFROY *Matiere medicale. T III. p* 254. *ſeq.*

l) HERM. *Cynoſ. M m p.* 348.

m) BRÜCKMANN. *praeſ.* HEISIER *diſſ. de nuce Been, p.* 27.

Cutem exaſperatam laevigat, quo circa et inter coſmetica locum tenet, pruritum ingratum, praecipue ſenilem ſopit.

Ad vnguenta et balſama conficienda commodiſſimum, quippe inodorum, nullo alio odore peregrino florum odores inficit. Itali iasmini, narciſſi, dianthi flores eodem perfundunt, et huius virtute odores ex vegetabilibus fragrantibus extrahunt. In Belgio foederato oleis aethereis maiori pretio venalibus admiſcetur, vt quantitas eorum augeatur. Linimentis praeterea, ceratis, vnguentis et balſamis conficiendis adhibetur.

§. 26.

Oleum ſambuci (id ſcilicet quod ſub nomine expreſſi in officinis proſtat) citrinum colorem habet, ſaporem amaricantem. Frigore a grad. 30. Fahrenh. cogitur, et in rancorem facile degenerat. Flamma flagrat luminoſa, parum fumante, nec fuliginoſa.

Granorum Arilli ſambuci libr. 2 olei dederunt libr. $\frac{1}{4}$ *n*). Oleum aluum laxat, et veneni vires frangit *o*).

§. 27.

Oleum laurinum de baccis *Lauri nobilis L.* triplum obtineri poteſt, *coctum, expreſſum, ſtillatitium p*). Oleum expreſſum butyraceum eſt, coloris cinereo viridis, ſaporis ingrate amari, pinguis. Baccarum libr. 1. olei circiter vnciam fundit *q*). Accenſum flamma flagrat lucida, non fumante, frigore non mutatur, igne vero leni adhibito defluit.

Oleum ex Italia, inſulisque fortunatis nobis mitti ſolet, et vi reſoluente, carminatiua potiſſimum ſeſe commendat. Con-

n) Dehne in Crells *chem. Journ. Th. III. p* 33.

o) Pfingsten *deutſches Diſpenſatorium p* 301.

p) Ol. aniſi, bacc. lauri, nuc. moſchat. macis et non nulla alia deſtillata ab his vnctuoſis parum diſcrepant. du Hamel optimas ea eliciendi encheireſes tradidit.

q) Spielm. *l. c. p.* 83.

Conuenit in affectibus frigidis, ſpaſmis, colica flatulenta al. Reſoluit tumores, neruos roborat, et in paralyſi ſaepiſſime vſurpatur *r)*. Laudatur etiam ad aurium dolores, et auditus grauitatem auribus inſtillatum. Calidum eſt et emolliens. Cum ſulphure mixtum, corpori ſcabioſo illinitur impetiginibusque aſperis medetur. Confert et in malo iſchiadico. Vermes occidit et pediculos, lendes ac ſurfures capitis, ophiaſes ac alopecias curat. Linimenta varia, et emplaſtra illud recipiunt.

§. 28.

Oleum palmae, coctione fructus *Palmae oleoſae s)*, obtineri fertur. Flauidum eſt, odore violaceo, ſapore pingui. Noſtro aëre ſebi ſpiſſioris conſiſtentiam habet, igne tamen liqueſcit, et accenſum flamma flagrat lucida, non fumante, odorem Iridis florentinae ſpargente. Aetate ranceſcit, odorem ſaporemque acidulum aſſumit, amittit colorem flauidum, et albeſcit.

Aetivs oleum *myrobalaninum* vocat llique aluum deiiciendi, lentigines, varos et faciei maculas detergendi vim tribuit *t)*. Bergivs oleum in duritie abdominis tum infantum, tum adultorum, morbisque tam acutis quam chronicis ſaepius felici ſucceſſu adhibuit. Venter etiam totus hoc oleo commode illiniri poteſt, poſtea obtegendus panno, qui oleo hocce denſius inunctus eſt. Multum ad commendationem confert odoris ſuavitas, prae reliquis vero vnguinoſis nihil eximii praeſtare videtur. Externe etiam ad ſpasmos, luxationes et perniones commendatur. Arbor, ex Africa in Americam translata, ibidem nunc laete colitur. Incolis oleum culinarium eſſe lego.

Palmae

r) Neum. *chem. p* 277. Herm. *l. c. p.* 288. *ſeq.*

s) Bergivs *M. m. p.* 882.

t) *Tetrabiblon p.* 21.

Palmae altiſſimae non ſpinoſae Sloan. u) fructus oleum dimittunt, *palmae* nomine ſimiliter inſignitum. Incolae littorum Guineae, Senegal cet. oleum non ſolum ad cibum, verum etiam ad medicinam recipiunt. Nigritis etiam vſitatum eſt oleo corpus inungere, quod vigorem et robur illi addere exiſtimant, et tonum conſeruare x).

§. 29.

Butyrum de cacao, ex nucleis *Theobromae cacao* L. ſiccatis, et torculari calefacto commiſſis exprimitur y). Oleum liquidum profluit, refrigeratum vero breui concreſcit in ſebum cinereum *), odore nucleorum, ſapore blando aromatico. Nuclei quartam circiter totius ponderis olei partem continent z). Diſtinguuntur vero hi nuclei pro ſoli natalis diuerſitate in duas ſpecies, *caraccenſes* ſcilicet, et *martinicenſes*. *Cl.* DEHNE ex libr. 1. (℥XVI.) nucleor. caracc. expresſit olei libr. ¼ cum drachm. 6½. Martinicenſes libr. ¼ cum drachm. 33½ largiebantur a). Oleum gratia atque temperie nulli vnguinoſo cedit. E retorta leni igne deſtillatum, acidum praebuit acido pinguedinis animalis ſimile, adeo tamen in recentiſſimo bonae notae oleo inuolutum eſt, vt ne minimum eius veſtigium reperiatur. Vetuſtatem facillime fert, nec omnino oleum ranceſcere perhibent LEWIS b) et DEHNE c). Multis vero demonſtrauit SPIELMANNVS rancori quidem, poſt multos tamen demum annos eſſe obnoxium d). Flamma flagrat pura, lucida, neque fumum neque fuliginem ſpargente.

In

u) *Hiſt of Iamaica Vol. II. p. 124.*

x) ADANSON *hiſt. natur. du Senegal p. 108. ſeq.*

y) *Ill.* MVRRAY *l. c. Vol. III. p. 389.* BOERHAAVE *El. chem. T. II. proc. 22.* MACQVER *El. de chymie P. II. c. 4. proc. 2.*

*) *Color olei recentis cinereus, deſtillatione, aut repetita aquae calidae et frigidae affuſione albidus redditur.*

z) Ill. CRELL *l. c. Th. 1. p. 166. Th. II. p. 157. Th. III. p. 33.*

a) BERGIVS *M. m. p. 628.*

b) *Mat. med. p. 154.*

c) CRELLS *Iourn. Th. III p. 39.*

d) *M. m. p. 115.* BEAVME *Elem. de Pharmacie p. 176.*

In re medica lubricandi, demulcendi atque nutriendi vi inclaruit. Summa itaque eius eſt dignitas in morbis pectoris a ſiccitate, excoriatione, ſpaſmo, ſiccum quippe ſtrictumque emolliat, atque vias lubricas faciat. In colica ſpaſmodica, infarctu, dyſenteria, teneſmo, nephritide, dyſuria, ſtranguria, exulceratione cet. ſaepius feliciſſimum auxilium praeſtitit. Pro vſu interno lacte, iuſculo, decocto avenaceo vel infuſo theaeformi optime excipitur. Per ſe vero propter pinguedinem nimiam difficulter ſubigitur, digeſtionis vigorem, ciborumque appetentiam proſternit, nimiumque relaxando corpori noxas affert. Externe fiſſis mammarum papillis, labiis oris, haemorrhoidibus coecis, dolentibus et vlceratis egregie opitulatur.

§. 30.

Oleum nuciſtae e nucibus *Myriſticae moſchatae* L. in mortario contuſis, et aquae feruentis vapore penetratis, caloris ope prelo torquetur *e)*. Oleum recens citrinum eſt, butyraceum, pingue, aromaticum, odore et ſapore nucis. In maſſis ſeu tabulis quadratis ex India orientali et Belgio aduehitur. Saepius vero a Belgis butyro vel ſebo admixto, aut ſpermate ceti et cera adulterari ſolet, facile tamen mangonium detegitur, partim exteris criteriis, nempe conſiſtentia duriore, colore intenſe flauo, odore et ſapore: partim rectificatione, (oleum enim nucis moſchat. deſt. cum expreſſo conuenit) partim etiam ope ſpiritus vini, cui aetherea olei pars adhaeret, reſiduum autem ſincerum colorem album butyraceum retinet, dum mangoniſatum euidenti flauedine prodeat *f)*. Aetate palleſcit, ſolideſcit in conſiſtentiam ſebi, admoto vero igne funditur, et accenſum flamma flagrat pura, vix fumante, luminoſa. Spielmannvs ex libr. 1. nucum moſchat. olei vnc. 6. impetrauit *g)*; Geoffroy vnciis 16

 olei

e) Bergivs *M.m p.884.* Geoffroy *l. c. T. III. p. 263.*

f) *Almanach für Scheidekünſtler 1783. p. 115.*

g) *l. c. p. 84.*

olei vnc. 3. cum drachm 2. Oleum nuciſtae vim habet antiſpaſmodicam, cephalicam, cardiacam, carminatiuam. Emplaſtra neruina, ſtomachica varia, vnguenta et balſama ingreditur, vnde et *corpus pro balſamo* audit. Externe in dyſenteria, vomitu nimio, colicisque doloribus ſedandis et mitigandis, proficuum ſe praeſtitit. Interne alui fluxum compeſcit, eademque ratione vti butyrum de cacao ingeritur. Temporibus illinitum infantibus lenem ſomnum inducit *h*).

Oleum Macis a SPIELMANNO expreſſum *i*) odoratiſſimum fuit, colore bruno, butyraceum. Macis libr. ½ olei dedit vnc. 1½.

Macis oleum, vt oleo nucis quantitate cedit, ſic qualitate antecellit, magisque commendatur in neruorum affectibus et aliis frigidis morbis, quin et podagram pedi oblitum ſanare perhibetur *k)* BOERHAAVE oleum e macere et nuce myriſtica expreſſum balſamum potius exhibere dicit, quam acre aromaticum vrens, quale deſtillando inde producitur *l*).

§. 31.

Oleum Pichurim expreſſum, album fuit butyraceum, fragrantiſſimum, aetate paululum flaueſcit et ſebaceum euadit. Fabae Pichurim libr. 1. olei expreſſi circiter vnc. 1½ largita eſt *m*).

Anthophylli fructus recens, oleum expreſſum dat ſebi conſiſtentia, fuſci coloris, fragrans *n*).

Caryophylli aromatici eiusdem notae oleum vnguinoſum continent *o*).

§. 32.

Oleum Canangae eſt oleum expreſſum, gratiſſimi ſaporis, ex floribus et foliis arboris Indiae orientalis paratum *).

Oleum

h) PFINGSTEN *l. c. p.* 642.
i) *l. c. p.* 84.
k) ALSTON *Mat. med. Vol. II. p.* 305.
l) *Elem. chem. II. p* 38.
m) BERGIVS *l. c. p.* 328.
n) BERGIVS *M. m. p.* 472.
o) NEVM. *chem. p.* 700.

Oleum Hupo oleum expreſſum eſt americanum, cui, ſi abdomini externe illinitur anthelmintica vis tribuitur *).

§. 33.

Semina plantarum umbellatarum quarundarum, oleo ſcatent vnguinoſo, ad expreſſorum naturam accedente. Oleum eſſentiale in cortice ſeminis latet, expreſſum autem altero copioſius in medullari parte reſidet, odoris ſaporisque expers, niſi quod aetherei portionem abripiat.

Seminum aniſi libr. 1. olei ex viridi nigricantis, odorati, dulci et aromatico ſapore inſtructi, vnciam fudit *p*).

Semina foeniculi oleum fundunt expreſſum, mite, reſinoſarum particularum plenum *q*). Simile oleum *anethi*, *carui*, *apii*, ceterarumque umbellatarum ſeminibus exprimi poteſt, oleo nuciſtae ſuppar.

Oleum perfoliatae ex ſeminibus *Bupleuri rotundifolii* L. obtinetur, pingue, ſubrubellum, odore et ſapore aromatico amaricante. Frigore a grad. 40. cogitur, tempore vero ranceſcit, et accenſum flamma flagrat lucida, paululum fumante.

§. 34.

Nuclei Illicii aniſati L. frigida preſſione oleum vnguinoſum erogant, grate fragans *r*).

Aquilegiae ſeminum libr. 1. olei viridis vehere drachm. 5. expertus eſt *Cel.* SPIELMANN *s*).

Oleum ſtaphidis agriae expreſſum ad $\frac{1}{18}$. circiter cenſetur *t*).

Goſſypii herbacei L. ſemina oleum expreſſum dimittunt. Laudatur in nephritide, calculo al. Faciei maculas et lentigines curat *u*).

*) BLANCARD. *Lex Med* p 872.

p) SPIELM. *l. c. p.* 84. LEWIS *l. c. p* 57.

q) NEVM. *l. c. p.* 843.

r) *Ill.* MVRRAY *l. c. Vol. III. p.* 568.

s) *l c. p.* 84.

t NEVM *l c. p.* 291.

u) NEVM. *l. c. p.* 843.

Semina Rutae hortensis L. *Sambuci ebuli* L. *Staphyleae pinnatae* L. *Verbasci*, *Foenugraeci* et quae sunt alia oleum vnguinosum exhibent. Multus vero in descriptione eorum esse non potui, cum in officinis non prostarent, neque vllis artificiis parari a me potuerunt; seminibus quippe hyberno tempore plane exsiccatis et effoetis. In re medica nulla hactenus virtute inclaruerunt.

Sed de oleis vnguinosis animalium expressione paratis iam dispiciam.

§. 35.

Oleum ouorum, ex vitellis coctione induratis, et leni calore tostis, vt humidum abigatur superfluum, exprimitur flauum, spissum, odore et sapore proprio oleoso instructum *x*). Chemici diuersam olei expressi quantitatem ex eadem data vitellorum copia obtinuerunt. SPIELMANNVS singulos vitellos olei circiter denarios 2. fundere expertus est. *Cel.* ZIEGLER, in LEWIS *Mat. med.* ex ouis 10. vnciam circiter vnam obtinuit, et *Cel.* DEHNE ex vitellis 60. olei circiter vnc. 5½. *y*). Oleum in aëre temperato sebi mollioris consistentiam habet, quae tamen si ad oleorum fluiditatem propius accedit, mangonii signum exhibet. Frigore, a grad. 28. cogitur, facillime in rancorem degenerat, et accensum flamma flagrat lucida, non nihil fumante, nidorosa.

Ab Arabibus ad nos delata est oleum parandi methodus. MESUE et post illum RHAZES oleum in medicinam inuexere, sed, cum fere comburi iubeant vitellos, oleum empyreumaticum valde obtinuerunt. MESUE destillatione parari posse oleum docuit, et nostris temporibus LECHANDELIER, pharmacopoeus Rothomagensis, ope spiritus vini extraxit *z*).

Oleum ouorum vti vnguinosa et pinguedines animalium omnes, inuoluendi, emolliendi, relaxandique vim possidet. In haemorrhoidibus, combusturis, fissuris mammarum et laborium oris, doloribus egregie medetur. Laudatum est in vlceri-

x) SPIELM. *l. c. p. 86.*

y) CRELLS *chem. Iourn. Th. III. p. 33.*

z) DE WASSERBERG *examen chemicum oui in eiusd. oper. min. Fasc. I. p. 201.*

ceribus serpiginosis, affectionibus corneae, et ad perniones *a*). In coryza infantum lactantium naso commode illinitur.

Eiusdem indolis oleum *ex formicis* et *coccis scleranthi* L. impetrauit Ill. MARGGRAF. V. *Hist. de l'acad. roy. de Berlin* 1749. *p.* 38.

§. 36.

Olea haec prout varia ratione differunt, ita *pondus* eorum *specificum* varium reperitur. Manifestius illud apparere ex sequenti catalogo credidi, vbi in lance exactissima a me examinata, inter sese comparata cernuntur.

Ol. Ricini ponderabat	—	drachm. 7.	gr.	32.
— Cannabis —	—	idem	id.	—
— Perfoliatae —	—	id.	id.	—
— Papaueris —	—	id.	id.	20
— Nucum iugl. —	—	id.	id.	—
— — auellan. —	—	id.	id.	—
— Lini —	—	id.	id.	—
— Hyoscyami —	—	id.	id.	—
— Sambuci —	—	id.	id.	16
— Amygdal. dulc —	—	id.	id.	12
— — amarar —	—	id.	id.	—
— Raparum —	—	id.	id.	—
— Sinapis alb. —	—	id.	id.	—
— — nigr.	—	id.	id.	—
— Fagi —	—	id.	id.	—
— Oliuarum —	—	id.	id.	—
— Palmae —	—	id.	id.	—
— Laurinum —	—	id.	id.	—
— Cacao —	—	id.	id.	—
— Nucistae —	—	id.	id.	—
— Ouorum —	—	id.	id.	—
— Been *). —	—	id.	id.	8
Aqua fontana. —	—	id.	id.	56

a) NEVM. *l. c. p.* 279. HOME *clinical essays p.* 156. *seq.*

*) Ol. been spiritui vini supernatat, nec cum eo miscetur.

Sect.

Sect. II.

EXPERIMENTA ALIQUOT CIRCA MISCIBILITATEM OLEORUM VNGUINOSORUM CUM AQUA.

§. 37.

Experimentum 1. Olei *oliuarum* drachmis 2 addidi *syrupi altheae* drachmas totidem, et aquae fontanae vnciam dimidiam. Leniter agitando suborta est emulsio, mox euanescens.

Exper. 2. Olei oliuarum drachmis 2 suffudi syr. altheae drachm. 4 aquae fontanae vnciam dimidiam. Emulsio aliquot secunda minuta persistebat.

Exp. 3. Adieci dein drachmis ol. oliuarum 2. syr. altheae et aquae fontanae ana vnciam. Leniter vas concutiendo nata emulsio lactescens, breui vero oleum in superficie cernebatur.

Exp. 4. Eadem experimenta cum ol. *amygdalarum*, *lini*, *iuglandum*, *ricini*, al., ope *syrupi cydoniorum*, *emulsiui*, et *communis* iteraui. Cum vero syrupus vix quartam olei partem subigeret, plane neglexi.

Exp. 5. *Olei amygdalarum* dulc. drachmae 1. adieci *mellis* drachm. 2. aquae fontanae vnciam. In connubium ruebant, at paulo post separatio insecuta est.

Exp. 6. Voto melius respondebat *gummi arabicum*. Confeci ex vnciis 4. g. arabici contusi, et aquae fontanae vnciis 8. syrupum, cuius drachmae addidi olei oliuarum totidem, et aquae fontanae vnciam. Facta emulsio paululum persistens.

Exp. 7. Aquae fontanae vnciae, adieci mucilaginis g. arabici, modo descripti, drachmam, et olei oliuarum drachmas 2. Post

Poſt aliquot ſecunda minuta, oleum in flocculos et ſtrias abiit, aquae commiſceri negans.

Exp. 8. Mucilaginis G. A. drachmae, et aquae fontanae vnciae, addidi olei oliuarum drachm. 3. Oleum non ſubigebatur, ſed ſubinde in globulos collectum aquam reſpuebat, nec vllis artificiis in emulſionis ſpeciem redigi potuit.

Exp. 9. Iteraui experimenta cum *aqua fontana deſtillata,* ſpes vero ſefellit.

Exp. 10. Egregie omnia cum *aqua fluuiatili* et *pluuiali* ſuccedebant. Aquae fluuiatilis vnciam, mucilaginis G. A. drachmam, cum olei oliuarum drachm. 2 miſcui. Vas leniter concutiendo facta emulſio, 10 circiter minuta perſiſtens.

Exp. 11. Aquae pluuialis vncia, et mucilaginis G. A. drachma, olei amygdalarum drachmas 2 optime ſubigebant. (cfr. Exp, 7). Intra pauca minuta tamen factum divortium.

Exp. 12. Olei amygdalarum drachm. 4 cum aquae fluviatilis vncia, ope drachmae 1 mucilaginis miſcebantur, emulſione vero non duratura.

Exp. 13. Olei oliuarum drachmis 2 mucilaginis et aquae fluuiatilis ana vnciam ſuffudi. Emulſio aliquot minuta permanebat.

Exp. 14. Olei amygdalarum, mucilaginis G. A. et aquae fluuiatilis partes aequales miſcui. Facta emulſio craſſiuscula euaneſcens.

Exp, 15. Partibus aquae fluuiatilis et mucilaginis G. A. aequalibus olei amygdalarum partes 4 addidi. Intra pauca minuta mixtione turbata oleum in ſuperficiem aſcendit.

Exp. 16. Olei oliuarum vnciae dimidiae, aquae fontanae vnciae, et mucilaginis G. A. drachmis 2 adieci G. arabici puluerifati drachmam dimidiam. Emulſio circiter 10 minuta formam ſeruauit.

Exp. 17. Triui olei amygdal. dulc. drachmas 2 et G. Arab. in puluerem redacti drachmam 1, ſenſim adiiciendo aquae fluv. vnciam. Emulſio aliquot horas perſtitit.

Exp. 18. Ol. lini drachmae 2 ope drachmae mucilaginis G. A. egregie subactae fuerunt. Addita vero aquae fontanae vncia dimidia, emulsio flaua intra horae minutum abiit.

Exp. 19. Oleum ricini pessime miscebatur, nec aquae fluu. vncia dimidia, olei et mucilaginis G. A. ana drachmas 2 in emulsionem redegit.

Exp. 20. Addidi drachmis 2 olei ricini drachmas 4 mucilaginis G. A. et aquae fluu. vnciam dimidiam. Facta emulsio cinerea breuiter persistens.

Aquam fontanam ol. ricini plane respuebat.

Exp. 21. *Gummi tragacanthae* vires in subigendo oleo experturus, eius vncias 2 cum aquae fontanae vnciis 4 in mucilaginem redegi. Cuius mucilaginis et olei oliuarum ana drachmae, aquae fontanae vnciam addidi. Suborta est emusio breviter persistens.

Ezp. 22. Olei oliuarum drachmae 3 mucilaginis G. tragac. drachma, et aquae fontanae vncia non miscebantur. Oleum globulos formans in aquae superficiem ascendit.

Exp. 23. Experimentis his cum *oleo amygdalarum*, *lini*, *cannabis*, *sambuci*, *ricini*, *raparum*, *sinapis* cet. repetitis et mutatis, fere semper *mucilago G. tragacanth. olei* modo *partem anaticam* in emulsionem redegit, cum *G. arabici pars vna olei partes* 2 mirifice subigeret.

Melius successere omnia cum *aqua fluuiatili* et *pluuiali*, parata noua mucilagine ex G. arabico et tragacantha.

Exp. 24. Laudari etiam meretur *ouorum vitellus*. Eius scilicet drachma olei amygdalarum drachmas 3 et aquae fluu. vnciam, in emulsionem redegit. Dolendum modo, quod vitellus oleorum rancorem promoueat, nec morbis acutis conueniat.

Exp. 25. Olei lini vncia dimidia, vitelli ouor. drachmae 2 et aquae fluu. vnciae 2 satis bene per minuta aliquot in miscela sua permanebant.

Exp.

Exp. 26. Olei ricini et vitelli ouorum ana drachm. 2 cum aquae fluu. vncia miſcebantur. Non multo poſt tamen factum diuortium.

Exp. 27. *Albumen ouorum* facillime oleum ſubegit, breui vero mixtum ſeceſſit.

Exp. 28 Cum *liquore anodyno min.* HOFFMANNI, *ſaccharo* et *ſale*, quaedam tentaui, ſed ad ſummum partes olei, aquae et liquoris anaticae connubium inibant.

Saccharum non niſi magna copia ſumtum oleum cum aqua combinauit.

Sapones ab aqua diſſolui, lippis atque tonſoribus notum eſt.

Nimis longum foret, ſi pericula a me inſtituta omnia in medium proferre vellem, quae vero de miſcibilitate oleorum varia edoctus ſum, breuiter haec ſunt.

Aqua fluuiatilis et *pluuialis* optime in oleorum connubium intrat, dein *aqua aromatica,* foeniculi, menthae cet. et *aqua communis deſtillata*, peſſime *aqua fontana.*

Inter *adiuuantia* primum locum meretur *G. arabicum*, cum pars eius vna, duas vel tres olei partes optime ſubigat; *Vitellus ouorum* ſubigat partes olei duas, *G. tragacanth.* et *albumen ouorum* partes anaticas, *Liquor vero anodynus* HOFFM., *Syrupus comm. altheae*, *cydoniorum*, *mel*, *ſaccharum* al. tertiam vel quartam circiter ſui ponderis partem.

Oleum papaueris ſomniferi facillimo negotio miſcetur, dein oleum nucum iugland., auellan., amygdalarum dulc., amararum, fagi, hyoſcyami, ſambuci, oliuarum, lini, ſinapis, raparum, cannabis. Omnium vero difficillime oleum behen et ricini.

Cum *oleis butyraceis* tentamina facere nolui, cum haec optime in iuſculo, vel cum potu calido lactis, theae vel coffe exhibeantur, nec cum aqua frigida miſceri ſeſe patiantur. Quod vero *Cl.* FRENCH apud Londinenſes Pharmacopoeus expertus fuit, id mihi non ſucceſſit. Variis circa

 miſci-

miſcibilitatem oleorum tentatis, haec refert *): "To one drachm of the mucilage of gum arabic I put two drachms of olive oyl, and one ounce of Water. Theſe by moderate attrition in a Mortar formed a neat emulſion, and continued perfectly mixed many days." Repetii hoc Frenchii experimentum, cum eandem g. arabici ſolutionem ſumerem, qua ipſe vſus fuerat, cui oleum et aquam addidi. Oleum vero aquam fontanam nequaquam ſubiit, verum globulos formavit, miſceri neſcios. Triui dein oleum oliuarum et mucilaginem per dimidium horae in mortario lapideo, fluuiatilem aquam ſenſim adiiciens. Et ſuborta quidem eſt emulſio, per aliquot dies ſpeciem albidam ſeruans, attamen poſt 6 horas motus inteſtini veſtigia aderant.

Cum oleo papaueris et amygdalarum idem expertus ſum. Poſt horas aliquot oleum aquae innatabat, emulſio vero formam lacteſcentem ſemper ſeruauit.

Cum vitello ouorum et aqua pluuiali emulſio vti in prioribus tentaminibus poſt 7 vel 10 horas turbata ſeceſſit.

Pericula facere plura nolui, cum *oleum et operam* plane *perdidiſſe* ſentirem. Huic vero Frenchii experimento fidem facere nequeo; cum a me omnia diligentiſſime ſint inſtituta, niſi aquae Londinenſi vis quaedam priua inſit. Multum vero abeſt, vt trituram omnino reiiciam, cum ad ſubigendum oleum plurimum facere ipſe viderim. Male tamen quiſpiam in hac operam ſuam collocaret, cum poſt horas aliquot mixtio neutiquam ſecedat, vt potius perfectum olei et aquae connubium in votis maneat.

*) *Medical obſerv. and Inquiries Vol. I. p. 417.*

Sect.

Sect. III.

De effectibus vnguinosorum in salia sulphurea, metalla.

§. 38.

Oleosi cuiusdam *cum sale* combinatio *sapo* vocatur. Est ille plerumque massa solidiuscula, consistentia sebi spissioris, albida, mollis, odoris nauseosi, saporis ingrati, alcalini, pinguis. In aëre non deliquescit, flammae vero admotus, guttis stillat decidentibus, et remota hac subito rigescit. Aqua tepida perfecta soluitur, solutione lactescente, limpidiuscula, quae si virga vel manu quatiatur in bullas exsurgit et spumescit, tardius vero haec solutio procedit, si aqua frigida sumitur. Soluitur etiam sapo spiritu vini, praecipue si hic per alcali fortior factus fuerit, solutione perfecta, limpida, ab aqua vero affusa lactescit et praecipitatur. Igne clauso plane funditur *a*).

Sapones fixi siue vulgares *vel molles* sunt *vel duri*. Priores e lixiuio cum vnguinoso animali, imprimis cocto balaenarum lardo conficiuntur, et potissimum in vsum oeconomicum, et ab artificibus adhibentur. Duri vero e purissimis oleis expressis, oliuarum vel amygdalarum addito lixiuio parantur. Ab antiquissimis inde temporibus sapones ex seuo imprimis et sale alcali vegetabili noti fuerunt, eiusque vsum in medicina per multa secula inclaruisse testantur Plinius *b*) Gale-

a) Bergius *M. m. p. 14.*

b) *Hist mundi Lib. XXVIII. cap. 51.* Prodest inquit, sapo, Gallorum hoc inuentum, rutillandis capillis. Fit ex sebo, et cinere. Optimus fagino et caprino duobus modis, spissus et liquidus. Vterque apud germanos maiore in vsu viris quam foeminis.

NVS *c*) et ARETAEVS *Cappadox d*). Recentioribus temporibus TACHENIVS primus fuit, qui saponis vulgaris conficiendi methodum tradidit, et nouissime viri longe celeberrimi MACQVER *e*), SPIELMANN *f*), GEOFFROY *g*), BERGIVS *h*), WALLERIVS *i*) multa et praeclara de saponibus nobiscum communicauerunt.

Sapones optime in tria genera distingui possunt, quoad diversam salis naturam, quocum combinatum est oleum. I) *Vbi oleum aut alia pinguis materia cum sale alcali fixo, siue vegetabili siue minerali*, vel II) *cum sale alcali volatili* (offa Helmontii) vel III) *cum salibus acidis iungitur.* Primum saponis genus denuo diuidi potest 1) in *sapones veros*, vbi sal alcali fixum cum oleo vero vel expresso coniunctum est (*sapo vulgaris*), vel cum oleis aethereis (*sapo Starckeyanus*) vel cum oleis empyreumaticis *k*). 2) In *sapones spurios*, vbi sal alcali fixum cum alia materia pingui aut resinosa connubium iniit.

Sapo vulgaris praecipiente BOERHAAVE *l*) sequenti modo conficitur. Accipiunt primo sal alcali cum calce viua paratum, hoc aqua pura diluunt, vt lixiuium ouum recens sustinere possit. Lixiuium magistrale nominatur. Dein huius magistrae partem magis diluunt, vt in hoc secundo lixiuio ouum submergatur. Debile, vel subsequens lixiuium vocatur. Tum olei pressi recentis, oliuarum vel alius partes 8 cum lixiuii debilis partibus 2 miscentur, vt albissimum sit, et simul leni igne coquunt,

c) Oper. GALENI et HIPPOCRAT. ed. CHARTER. *T. XIII. de simpl. med p.* 100. Sapo conficitur ex seuo bubulo, vel caprino aut veruecino, et lixiuio cum calce. Optimum iudicamus germanicum est enim mundissimum, et veluti pinguissimum, dein gallicum. *lib. de compos. Pharmac. sec. loc. L. V. p. 7.*

d) *De curat. diuturn. L. II. c. 13.*

e) *Allgemeine Begriffe der Chemie nach alphabet. Ordnung, übers. von* POERNER

f) *l. c. Exp. V. p. 62.*

g) *M. de l'acad. des sc. à Paris 1739. 1741.*

h) *l. c. p 15. seq.*

i) *Physische Chemie T. I.*

k) SCHULTZ. *diss. de saponibus Goett. 1774*

l) *Elem. Chem. proc. LXXIII. p 103.*

quunt, donec omnia optime coire coeperint. Tum affunditur magiſtrae pars tertia, quarta donec maſſa ſpiſſeſcat, et nulla olei non ſatis bene vniti nota appareat. Coctio dein protrahitur, et *ſapo verus, fixus* appellatur, ſi ſit conſtanti duritie, aequabiliter in aqua diſſoluatur, nec in aere diffluat. Salis communis additionem quidam neceſſarium eſſe putant, vt ſapo ſolidus euadat.

Praeſtat omnino in vſus medicos ſaponem frigide parari, ne ſub decoctione oleum rancorem aſſumat, et optime *ſapo medicatus* conficitur ope *ſodae hiſpanicae*, cum calce viua paratae vt eius vires intendantur. "Sed et ſine addita calce optimae notae ſapo etiam confici poteſt, nec tunc opus eſt, vt debile primum lixiuium cum oleo coquatur, id quod omnino negligi nequit, ſi recipitur alcali validiſſimum, quippe quod ſtatim oleo adiectum eius globulos exteriores nimis denſat, vnde ipſi acceſſus ad interiores praecluditur, et aequalis alcali per omne oleum diſtributio impeditur„ *m*). Hac vero ratione oleum cum alcali intime iungitur, gelatinae liquidae faciem induit, et refrigeratione ſpiſſeſcit. Nexu hoc alcalino oleum non mutatur, et ſi ſapo decomponitur, in integrum reſtituitur ſpiritu vini poſtea ſolubile *n*). Neutiquam vero genuinum et ſincerum eſt oleum. Deſtruitur ſapo omnibus acidis etiam debiliſſimis, atque ſalibus omnibus imperfectis, quae maiorem cum alcali affinitatem ac cum oleis habent. *Cel.* GMELIN, praeceptor maxime colendus, etiam ab aëre fixo decomponi *o*), vt LEMMERI deſtillatione docuit *q*).

Tot diuerſas vero ſaponis vulgaris ſpecies confici, quot diuerſa olea aut pinguedines cum diuerſis ſalibus coniungi, poſſunt. Omnes hi ſapones vt ſupra innui vel duri ſunt, vel molles, omnes ſcilicet qui oleum, quod frigore denſatur continent, duri euadunt. Hinc nunquam ex oleo raparum, cannabis, lini et alcali vegetabili ſapo durus paratur, cum

m) SPIELM. *l. c. p. 64.*
n) BERGIUS *M. m. p. 16.*
o) *l. c. p. 173.*
p) *Cours de Chymie. l. c.*

cum ex oleo oliuarum aliisque, durus exſurgat. Sapones etiam cum alcali fixo minerali parati ceteris praeſtantiores ſunt, et quo alcali purius, quoque oleum magis ſincerum, nec odore nec ſapore ingratum fuerit, eo ſemper erit ſapo melior, et in vſus imprimis medicatos pulchrior. Variis etiam odoramentis ſaponum gratia augeri poteſt. Color ſaponum pro ratione olei diuerſus eſt. Ex lardo balaenarum ſapo niger conficitur, ex oleo communi viridis. Olei quoque ad alcali ratio ſaponem diverſum reddit.

Omnibus reliquis antecellit *ſapo* qui ex *ſolutione boracis* ſurgit, propter alcali min. foſſile quod in eo continetur *q*). Alterum boracis principium neutiquam cum pinguedine coit.

Sapo venetus tribus oliuarum, amygdalarum vel alius olei, et duabus ſalis alcali partibus conſtituitur. Colore tinctus eſt marmoreo, quod vero ex vitriolo cyprio immixto pendet. Sic indigo ſaponem coeruleum, coccionella rubrum tingit.

Sapo alicantinus vel *hiſpanicus* albidus eſt, ſubflaueſcens, cum ſale ſodae paratus.

Sapo tartariſatus cum lixiuio ſalis tartari ſecundum Boerhaave *r*) ſequenti modo conficitur: olei oliuarum vel alius et ſalis tartari partes anaticae miſcentur, dein leni igne lente coquuntur, donec aqua ſenſim euaporet. Tali modo naſcitur maſſa adoris nauſeoſi, pinguis, alcalini, in aëre deliqueſcens. Si vero tum inter coquendum alcali ſoluti aut olei portio affunditur, vt miſcela poſtea in aqua perfecte dilui queat, nec ſaporem alcalinum exhibeat, et in aëre maneat, ſapo perfectus vocatur.

Sapo amygdalinus ab oleo, quod ad ipſius praeparationem receptum eſt, nomen habet.

Sapo de cacao Cl. fratrum Gravenhorst inuentum eſt, et facillimo negotio cum lixiuio cauſtico conſtituitur *s*). Ideo praecipue omnibus anteponendus, quod gratia,

q) Wallerius *l. c. Th II. p. 183.*

r) *l. c. Proceſſ. LXXIII.*

s) Crell *chem. Iournal Th. I. p. 106.*

gratia, puritate et conſtantia contra rancorem reliquis omnibus praeſtet. *Sapo vegeto mineralis* ex oleo oliuarum puriſſimo, et alcali minerali optimo, iuſta proportione inter ſe coniunctis a *Cl.* GRAVENHORST conficitur. *Sapo de ſpermate ceti* cum lixiuio cauſtico coctione conſtituitur *t*). Editor factorum chemicorum germanice conſcriptorum *u*) ex duabus ſpermatis partibus, et olei amygdalarum parte vna, cum lixiuio cauſtico ſaponem optime parari docet. *Sapo camphoratus* ex ſolutione camphorae in oleo amygdalarum cum lixiuio cauſtico naſcitur *x*). Id praecipui habet quod, mercurius dulcis inde non nigreſcit. Aqua et ſpiritu vini diſſoluitur. *Sapo chemicus* conficitur, cum lixiuium magiſtrale ad ſiccitatem in vaſe ferreo euaporatur, ſal quod remanet cum oleo digeritur, accedente agitatione vsquedum coiuerit, et maſſa exſurgat, vnguenti denſioris conſiſtentia. Sapo ab oleo denominari ſolet *y*).

Virtutes ſaponis medicatae certe ſunt egregiae, reſoluit enim, attenuat, mundificat, aperit. Hinc inueteratas alui obſtructiones reſerat, acrimoniam obtundit, concreta amurcoſa, bilioſa emollit et coagulatis meabilitatem reſtituit. In acutiſſimis morbis ſaepe felici ſucceſſu praeceptus eſt *z*). Agit etiam vt antidotum contra venena acida aſſumta, cum alcalina ſaponis pars ſibi adiungat acidum, vnde ſal formatur medium, quod magis irritare nequit. Contra calculum vtiliter adhibetur; ſed prae reliquis reſoluentibus nihil praecipui praeſtitit. Ingreditur etiam *medicamentum lithontripticum matronae Stephens*, cuius altera pars calcem oſtrearum recipit. Verum HARTLEY et MORAND affirmant ſub vſu remedii lithontriptici ſanguinem, ſerum et vrinam, alcalina fieri, et

t) CRELL *l. c. Th. II. p. 133.*

u) *Almanach für Scheidekünſtler 1782. p. 9.*

x) *Almanach cit. 1785. p. 34.*

y) SPIELM. *l. c. p. 66.*

z) BOERHAAVE *l. c. p. 104.* VAN SWIETEN *Coment. Vol. I. p. 204.*

et HVXHAMVS obferuauit aegros huius medicamenti vfu in fcorbutum, phthifin, dyfenterias et haemorrhagias incidiffe. BERGIVS vero fenem vidit feptuagenarium faponis vnciam dimidiam cum amaris maritati, et aquae calcis libr. 2 addito pauxillo lactis, per integros 10 annos magno cum leuamine quotidie fumfiffe *a*). Sapo enim in aqua calcis viuae diffolutus aquae vim lithontripticam mirifice auget. ROBERTVS WHYTT faponis alicantini vnciam cum aquae calcis libr. 3 *b*) fingulis diebus felici fucceffu fumi iuffit. *Celeb.* DE HAEN memorabile exemplum recenfet futoris, qui per 7 integros annos quotidie bibebat 4 libras aquae calcis et totidem libras lactis, fimul dabatur omni die faponis vncia, adeoque vt per totum hocce fpatium fumferit 17 libras faponis, et 1500 libras aquae calcis totidemque lactis, optime tamen inde et per totum curationis decurfum, longoque tempore poft fefe habuit, fymptomata calculi omnino ceffauerunt, nullaque plane difpofitio alcalina humoribus inde illata fuit; finita etiam curatione vrgente plethora fanguis vena emiffus omni nota optimus fe repraefentauit. Pluraque alia fimilia exempla fat fuperque demonftrat, faponem omnino absque vllo periculo dari poffe, nifi quod in quibusdam ex longiore eius vfu debilitas fuboriatur, quae vero facillime roborantibus remediis vel praecaueri, vel tolli, poteft.

Sapo praeterea acidis obftat, ne lac vel chylum cogant. In infantibus itaque remedium fiftit nobiliffimum in aqua aromatica folutus. Inueteratas obftructiones glandularum mefenterii referat, coagula biliofa emollit et eluit *c*). Refoluit pinguedinem nimiam, corporisque obefitatem praecauet. In abftergendis fordibus viarum vrinae vires notatu dignae funt, et in calculo vrinario, podagra, arthritide, cum rheo, gentiana al. valdopere laudatur *d*). In rachitide pilulas e felle taurino et fapone

a) *M. m.* 18.
b) *Med. Effays T. V. p.* 607.
c) DE HAEN *rat. medendi T. II. p.* 106. *Phil. Transact. N.* 478. SARCONE *Gefchichte der Krankheiten in Neapel B. I. p* 109. VAN SWIETEN *l c. p.* 205
d) PERCIVAL *l. c. Vol. II. p.* 173.

pone *Cel.* BRVNSTEIN optimo cum ſucceſſu dedit. In tuſſi conuulſiua magna eius eſt dignitas cum g. ammoniaco et pulvere radicis ſquillae. In colica ſaturnina ſaepius efficacem ſe praeſtitit cum opio iunctus, et *Ill.* TISSOT magnam illi famam conciliauit in morbis omnibus a glutinoſo ſpontaneo ortis. Interne a paucis granis doſis ad drachm. 3 aſcendit, et exhibetur, ſiue liquoribus aquoſis ſolutus, ſiue in pilulis exceptus. Abſtinendum eſt ab eo in acrimonia humorum alcalina, vbi primae viae laxitate peccant. In morbis putridis, humoribus et ſanguine diſſolutis, et haemorrhoidibus vſus valde noxius eſt. Externe in rheumatiſmo magnam ſaponi laudem tribuit *Ill.* BALDINGER, et in rheumatiſmo chronico, malo iſchiadico, ceterisque morbis rheumaticis ſiue oleo exceptus, ſiue ſpirituoſis liquoribus ſolutus impoſitus, efficit vt humor ſtagnans, morbi cauſa, exhalet *f*). Cum lacte in cataplaſma redactus ſtrumarum tophorum, et humorum frigidorum mucoſorum materiem ſoluit. Ad grauiores ſcabiei ſpecies etiam adhibetur. Nec fruſtra ſiue cataplaſmatis, ſiue vnguenti forma abſceſſibus imponitur, quos laxando et ſtimulando aperit. VAN SWIETEN ſaepius vtebatur ſolutione ſaponis veneti in aquae et lactis dulcis partibus aequalibus, huic pannos laneos immergebat illosque dolenti lateri applicabat, vel in decocto emolliente ſaponem diluebat, et tali fomento curam pleuritidis aggrediebatur *g*). Saponem abdomini inunctum aluum ſoluere aſſerunt auctores, qui tamen effectus multo certior obtinetur, ſi ſuppoſitorii ſpecie aluo immittitur, aut enematibus cum decocto florum chamomillae cet. iniicitur, quod pertinaciſſimas alui obſtructiones ſoluiſſe obſeruatum eſt. Linimenta praeterea, emplaſtra et balſama ingreditur, cum ſpiritu vini rectific. camphora, et oleo rorismarini et origani digeſtus *h*).

e) VNZER *med. Handbuch Th. II. p. 669.*

f) SPIELM. *p. 65.*

g) *Commentar. Vol. III. l. c. p. 521.*

h) LEWIS *l. c. p. 521.*

§. 39.

Salia mineralia acida, fere omnia, in *olea vnguinosa* vim habent et actionem: ad mixturam eorum rubeſcunt et coagulantur, aſt ſine calore et ebullitione niſi acidum valde ſit concentratum. *Acidum vitrioli* vero in eo a reliquis differt, quod in carbonem oleum non compingat, ſed ex hac miſcela ſapo liquidus acidus exſurgat, egregium *Ill.* ACHARDI inuentum. Addidit ille vnciis duabus acidi vitriolici, olei cuiusdam expreſſi, ad ebullitionem feruentis, vncias 3, et ſubortus eſt *ſapo imperfectus*, nigricans, reſinae terebinthinae ſimilis. Hunc poſtea in aqua communi deſtillata ebulliente diſſoluit, vt acidum nimium abſumeretur, dein frigori expoſuit, quo particulae oleoſae in cerae conſiſtentiam cogebantur. Eadem experimenta cum oliuarum, cacao, ouorum et amygdalarum oleis ſuſcepit ſucceſſu feliciſſimo. Omnes ſapones iſti aetate magis induruerunt, in aëre vero non ſine deliquio conſiſtunt, ob nimiam forſan acidi copiam. *Ill.* MACQVER ſaponem communem cum oleo oliuarum et acido vitrioli concentrato miſcuit, et tali modo *ſaponem acidum perfectum* parauit *i*). Ipſe nonnulla cum ol. ricini, lini, oliuarum, iuglandum, raparum et amygdalarum tentaui, quibus terendo ſenſim oleum vitrioli dilutum adieci, et *ſaponem* obtinui *acidum*, colorem hepatis prae ſe ferentem, qui omnes veri ſaponis virtutes monſtrabat. Sapo ex oleo ricini fere cinereus fuit, ex oleo lini nigerrimus, grauis.

Horum ſaponum vſus medicatus a MACQUERIO multis nominibus celebratur, inquit: „C'eſt un travail d'autant plus important à ſuivre, que ces ſortes de combinaiſons ſavonneuſes ſemblent pouvoir devenir un nouveau genre de medicament d'une grande efficacité, et exempt d'inconveniens dans beaucoup de maladies chroniques, d'obſtructions, d'en-

i) *Dict. de Chymie Vol. 1. p. 359. Journal des Sçavans année 1776. p. 613. 1777. p. 103.*

d'engorgemens, de concretions, furtout dans celles fur lesquelles le favon ordinaire n'a de prife que jusqu'à un certain point, et pendant un certain temps, après le quel il ne produit plus aucun effet. Il me paroit très probable, que dans ces cas que les medecins ne rencontrent que trop fréquemment; un favon acide fubftitué au favon alcalin qui n'agit plus, pourroit devenir très efficace, et que l'ufage alternatif de ces deux medicamens produiroit peutêtre des effets qu'on attendroit en vain en fe bornant à l'un des deux. Comme ces favons quoiqu'ils foient des diffolvans puiffans et actifs, n'ont cependant aucune caufticité qui puiffe les rendre redoutables aux medecins les plus prudens, on peut du moins en faire des effays fans aucune crainte ni danger, ce qui n'eft pas un avantage mediocre en fait de medicamens.„

Acidum nitri concentratum cum oleis vnguinofis mixtum valide efferuefcit, eaque in carbonem coagulat, qui addito nouo acido in flammam erumpit. Facillime cum oleo lini, nucum, cannabis et papaveris tentamen fucceffit *k*). Cum oleo amygdalarum et raparum vero res non ita fe habuit. Haec enim olea adhibito acido nitri non efferuefcebant neque mutabantur, donec fumtis acidi vitrioli et nitri partibus anaticis poft horae minutum efferuescentia fuborta eft. Mixtum vapores nitrofos rubros fpargebat, et fulphureum fpirabat. Carbo concretus minime tenax et folidus, fed vere vnguinofus fuit, nec cum flamma ardebat. Oleum de cacao, myrifticae, behen, ouorum, ricini fimiliter nullam flammam conftituit *l*).

Acidum falis fat parum vel plane nihil in olea efficit. *Ill.* ACHARD olei lini vnciam, cum acidi falis vnciis 2 digeffit, fere non mutato olei acidique colore *m*). Idem cum ol. oliuarum et amygdalarum eventus fuit.

 §. 40.

k) ROUELLE *in Mem. de l'acad. des fc. à Paris année 1747.*

l) SPIELM. *l. c. p. 186.*

m) *Phyfikalifch chymifche Schriften p. 324.*

§. 40.

Sulphur ab oleo quouis vegetabili, tam aethereo, quam vnguinoſo ad ignem calefacto, perfecte fere et ſatis cito diſſoluitur: maiorem vero prae aethereis ſulphuris quantitatem vnguinoſa recipiunt *n)*. Additur floribus ſulphuris in fictili incruſtato vitro plumbi, igni impoſito. illud oleum calefactum, quo eos diſſoluere velimus. Augetur dein ignis vt ſulphur liqueſcere queat, tum intumeſcit, vapores fumumque ſpargit; et quod alias fere eſt inodorum in oleo ſolutum fortiſſimum ſpirat, quod principio forſan inflammabili adiudicari poterit. Tandem, miſcentur oleum et ſulphur intime, opacus fit vterque liquor, eſtque concretum de his binis nouum corpus penitus ſubactum. Hic ille ait Boerhaave decantatus eſt Helmontii, Rulandi et Boylei *ſulphuris balſamus* qui pro vario, quod ad ſolutionem ſulphuris recipitur oleo, vario nomine inſignitur. Hunc ad emolliendum, calefaciendum, reſoluendum externe ſummis laudibus cumularunt. Interne vero contra putrefactiones, ſuppurationes, renum, pulmonis imprimis, et in phthiſi ipſa pulmonali arcanum remedium inueniſſe affirmant. Experientia tamen has modo laudatas virtutes non comprobauit. Merito vero noſtris temporibus proſcriptum remedium, cum acri pingui et calido indigeſtibili pulmonibus et debili ventriculo noceat, febriculam excitet, et nimis iam dudum exſiccata per phthiſin corpuſcula torreat. In eneruando forſan veneno minerali corroſiuo praeſtare poſſet quippiam, ob affinitatem cum arſenico, cupro, mercurio al. praecipue tamen vires, ſi quas habet, ab oleo quocum confectus eſt, ſtatui debent. Externe vlcera frigida, aquoſa, ſanioſa, manantia feliciter curauit, eiusque vſum in ſcabie iterum defendit Vogel *o)*. Ingreditur

n) Wallerius *phyſ. Chemie Th. II. p.* 263. Macquer *Chymie T. I. p.* 503. Boerhaave *l. c. Proc. CLVI*, Spielm. *l. c. Exp. XV. p.* 89.

o) Progr. dubia quaedam contra nociuam linimentorum ſulphureorum vſum in ſcabie Goett. 1765.

ditur etiam *emplaſtrum diaſulphuris Rulandi* ad reſoluendos tumores et ulcera commendatum *p*).

Sulphur melius diſſoluitur, ſi cum ſale alcali ſubactum fuerit, quod *hepar ſulphuris* vocant, idque celerius ab oleis perficitur, quae in frigore conſiſtunt. Si autem nimia ſulphuris copia ab oleo recepta fuerit, haec in frigore ſub cryſtallorum forma fundum petit *q*).

Balſamus ſulphuris duplo triploue olei, quocum conſtitutus fuerat, dilutus, ſaponem conficit ea ratione, quae tradita fuit §. 38. Hepar ſulphuris oleo dilutum, etiam in ſaponem abit.

§. 41.

Plumbum natiuum, maxime vero *calces* eiusdem *minium*, *ceruſſa*, *lithargyrium* ab oleis, imprimis expreſſis ſoluuntur, quae ſolutio *balſamus ſaturni* vocatur *r*). Conficitur balſamus ſi calci cuicunque ſaturninae, vel plumbo granulato, olei cuiusdam expreſſi duplum ſuffunditur. Leni igne admoto plumbum fundi prius incipit, quam oleum ebullit, aucto vero hoc ſenſim plumbi calx cum oleo intimius miſcetur, valide intumeſcit, et vere balſamus perficitur, qui protracta coctione in frigore conſiſtit, craſſus et ſemimetallicus euadens, igne vero ducitur et liqueſcit.

In re medica balſama haec prorſus neglecta ſunt, cognitis peſtiferis in corpus humanum plumbi effectibus. Saturnina quippe omnia, parca licet quantitate ingeſta, motum periſtalticum retardant vel plane tollunt, neruorum vim ſentiendi opprimunt, ſanguinis circulationem impediunt, alui obſtructiones pertinaciſſimas, ſanguinis coagula, colicam ſaturninam et pictonum, artuumque paralyſes excitant *s*). Mos quoque olea vnguinoſa in vaſis

p) Klein *ſeleſt. med. p* 86.

q) Wallerius *l. c. p.* 280.

r) Boerhaave *l. c Proc.* CLXIII. Spielm. *l. c, Exp. XVI, p.* 91.

s) Neum. *Miſcell. Berolinenſ. T. IV. p.* 321. Hoffm. *med. rat. ſyſt. T. I, p.* 228. §. 21. *Tom. II, p.* 221.

vafis plumbeis afferuandi, et fuppellex cibaria ex ftanno, cui plumbum additur, quam maxime fanitati officit.

Vfus praeparatorum externus frequentiffimus eft, ne dicam faluberrimus. Veteres ex plumbi calcibus emplaftra fub *elephantini* et *albi* nomine in vfus dudum adhibuerunt *t*). Hodie vero folutio ceruffae *emplaftri albi* nomine venit, plurima dein et diuerfiffima emplaftra e lithargyrio et minio parata a *calcibus* denominantur. Haec emplaftra omnia firmare valent et fouere partes, adftringunt praeterea et exficcant, vi abforbente acria extrahunt, mitificant et vulnera cicatrice obducunt. Adhiberi folent ad mammas, vt lac ftagnans difcutiatur. Ex minio interdum vnguenta conficiuntur et cofmetica ex ceruffa. Vfum vernicis in re pictoria ampliffimum omitto.

Non reticenda vero nobiscum a SCHEELIO communicata nouiffima obferuatio *u*). Confecit vir *Cl.* cum lithargyrio, oleo et aqua (quod fub initium, et per omnem coctionem oleo fuffunditur) *emplaftrum* vulgo *fimplex* nominatum. Coctione abfoluta, poftquam mixtum refrigeratum fuerat, aquam fupernatantem dulcedine quadam infectam fenfit, quae oleo antea infitam fuiffe, et coctione cum plumbo fefe declaraffe illi vifa eft. Aquam tum feparatam leni igni impofuit, coctione dein protracta ad fyrupi craffitudinem redegit, cryftallosque obtinuit, facchari cryftallis fimillimos. Plura itidem tentamina eum oleo lini, oliuarum, ricini, iuglandum et amygdalarum mihi etiam fucceffere, interim tamen quoad maximam partem ftypticam iftam dulcedinem plumbo tribuere mallem, licet affirmauerit SCHEELIVS ab affufo acido vitrioli, vel fale alcalino plumbi particulas effe nunquam praecipitatas. Omnis enim aqua, tali modo cum lithargyrio et oleo tractata, dulcedinem habuit paululum adftringentem intenfiffimam, verum turbida fuit, particularum fatur-

t) CELSVS *de Medic. L. V. c. 19.* GALEN. *de compof. med. per gen. L. I. c. 16.*

u) *Vetenfk Acad Handlingar. 1783. Vid. cenfura in Goett. gel. Anzeigen St. 14. v. J. 1785.*

ſaturninarum plena, quae temporis mora fundum petierunt. Aquam tum decantatam per linteolum traieci, quod particulas ſaturninas, quae illi forſan inhaerere poſſent, non transmitteret; limpida fuit, et a liquore vini probatorio vix viſibilem mutationem ſubiit, verum priſtinae dulcedinis multum amiſerat, quam intenſiſſimam ſemper magiſterium ſeruauit. Vera tamen etiam veſtigia ſalis cuiusdam dulcis in oleis deprehendi poſſe, quis vnquam in dubium vocare auſit? cum in animalium pinguedine, imprimis in lacte, tam manifeſte ſeſe declaret. Mirum modo, quod ſub dicto connubio ſeſe manifeſtet, cum aquae, absque ſaturnino per multas horas cum oleo digeſtae, ſaporis dulcedinem vix vnquam conciliare potuerim, quod omnino tamen fieri debuiſſet.

§. 42.

Olea in calcem *ſtanni* phlogiſto omni nondum ſpoliata, melius paulo quam in ſtannum ipſum agunt *x*). Interim tamen exigui eſt momenti, ſi cum iis, quas in plumbi calces exſerunt vires, conferre velis.

§. 43.

Cuprum omnesque compoſitiones metallicae, quibus cuprum ineſt, imprimis *aurichalcum*, ab oleis vnguinoſis colore viridescente ſoluitur. Sumſi cupri laminas tenues, et his oleum affudi. Optime diſſoluebantur in oleo nucum, papaueris, oliuarum, amygdalarum, lini et cannabis; tardius in oleo raparum et ricini. Laminae vero, quas oleo nuciſtae et cacao immiſeram, poſt duos menſes aeruginis modo veſtigia monſtrarunt, loco tepido aſſeruatae.

§. 44.

x) *De* Wasserberg *inſtit. Chem. T. I. p.* 204.

§. 44.

Ferrum vero olea non adeo, vt cuprum, afficiunt, fed a rubigine potius defendunt, cum vernicis inftar illud obducant, aërisque acceffum arceant. Rancida vero rubiginem generant. Calces ferri cum oleo folutae vitrum viridi colore tingunt.

Ab oleis vegetabilium quomodo *pinguedines animalium* produci poffint, curiofo experimento docuit HOMBERG *y*). „Recipiatur *limaturae martis* vncia femis, humectetur fpiritu vini, deinde affundatur oleum oliuarum ad eminentiam quatuor vel quinque digitorum. Huic mixturae fuperaffundantur fpiritus nitri vnciae duae; fic, more folito foluitur ferrum, aequaliter vt absque olei additione fieri folet. Quo facto, folutio ad refrigerandum collocatur loco frigido, coagulatur oleum oliuarum in febum mixturae innatans, quod poftea feparari poteft, et eft vera *pinguedo febacea*, quamuis naturali paulo acrior. Hinc elucet conuenientia pinguedinis animalium cum oleis, ad eiusdem originem paulo maiorem tantum acidi copiam requiri, ad fortiorem nexum partium.„

§. 45.

Mercurius tritus cum oleis vnguinofis non folum mobilitatem perdit, fed et plane exftinguitur, et in maffam nigrefcentem quafi plumbeam cum illis coit, ex qua poftmodum non omnis feparari poteft mercurius *z*). Tradidit IUNKERUS, quod fi mercurius calefiat in tigillo vel vafe quopiam terreo, donec ad ebullitionem deducatur, vaporesque fpargat, tum illico affundatur in oleum lini, et facto hoc feparetur ab oleo atque operatio prior aliquoties repetatur, fieri demum firmum, fub malleo ductilem, calore plumbi inftar fufilem, remanente tamen volatilitate in igne, vnde et, quam primum fufus fit, tolli ab

y) *Mem. de l'acad. des fc. à Paris 1710.* WALLERIUS *de origine ol. in vegetab. l. c. p. 152.*

z) WALLERI *Syft. mineralogic. T. II. p. 153.*

ab igne debeat *a*). Tentanti tamen hoc ſexies Wallerio nunquam ſucceſſit, nec de Wasserberg firmitatem mercurio conciliare vnquam potuit *b*). Tritus vero cum pinguedine animali mercurius exſtinguitur, et *vnguentum neapolitanum* praeſtat.

§. 46.

Olea expreſſa calore adiuta tam *auripigmentum* quam *riſigallum* ſoluunt *c*). Si *arſenicum* cum oleo lini, aut alio quocunque, miſceatur in conſiſtentiam pultaceam, ac dein in retorta inſtituatur ſublimatio, regulus maiori quantitate, et in aëre melius perſiſtens obtinetur *d*).

§. 47.

Phoſphorus, praecipue tamen is, qui a Kunkelio et Helloto nomen habet, ab oleis vnguinoſis in balſamum ſoluitur, illisque lucem ſpargendi vim infert. Per ſe vero olea expreſſa omnia, quando ſcilicet maiorem ignis copiam receperunt, fulgendi vim poſſident *e*). Lemery ex aluminis partibus 5 et olei cuiusdam parte vna phoſphorum adeo confecit. Olea, 10 aluminis partibus mixta, in flammam ſtatim eruperunt *f*).

§. 48.

Gummata, *reſinae* et *balſama natiua* fere omnia ab oleis vnguinoſis perfecte ſoluuntur, quaedam adeo facillime olea haec ſubeunt, quae plane non mutata in ſtillatitiis permanent, alia tamen ab oleis non ſoluuntur, ſiue ſint expreſſa ſiue ſtillatitia *g*). Huius generis eſt G. ammoniacum, G. ladanum,

a) *Conſpect. chemic. T. I. p. 991.*
b) *l. c. T. II. p. 161.*
c) *Cel.* Gmelin *l. c. p 161.*
d) Brandt *in Act. Vpſal.*
e) *Almanach für Scheidekünſtler.*
f) *von* Steinwehr *Abhandl. der Acad. d. Wiſſenſch. zu Paris Th. V. p. 415. Th. IX. p. 688.*
g) Bergius *Mat. med. p. 12. ſeq.*

G. guttae, maſtix, ſtorax cet. Soluitur vero camphora, ſuccinum, balſ. copaiuae. opobalſamum, tacamahaca et alia multa, quorum ſupra mentionem inieci.

In *reſinam elaſticam* olea haec paruam vim habent, maiorem empyreumatica. Oleum amygdalarum optime reſinam diſſoluit, ab oleo lini et papaueris paululum modo macerata fuit *h*).

Oleum ricini, ſi cum calce viua teratur, in maſſam ſpiſſeſcit reſinae elaſticae ſimillimam, quae poſtea ab aqua et ſpiritu vini ſolvitur. Ex hiſce ſolutionibus non alienum videtur concludere, quod exinde vaſa confici poſſent pellucida, quae confringi nequeant. Vitrum ductile veteribus vſitatiſſimum forſan tale quid fuit *i*).

§. 49.

Magnam denique vtilitatem in re fuſoria olea vnguinoſa praeſtare poſſunt. Vidit Geoffroy in ſacchari officinis oleum addi, ne, quod alias fieri ſolet, nimis in bullas ſaccharum exſurgat et vaſorum marginem transgrediatur *k*). In hoc praeſidium inueniſſe putauit, quod vitrioli, plumbi, cupri, mercurii fumum peſtiferum reciperet; atque mala alias inde nata auerteret, id quod experientia poſtea comprobauit. Oleum enim vapores in altum tendentes non ſolum cohibet, verum etiam melius et celerius metallum diſſoluitur. Grauitate ſua bullas aſſurgentes deprimit, atque aerem in illis condenſando impedit, quo minus vas tranſire queant. Oleum in ſebum acidum ſpiſſatur, iterum vero fuſum ſaepius adhiberi poteſt.

Auerti malum oleoſis experiuntur foſſores, fuſoresque cum plumbo praecipue rem habentes, qui auſpicaturi labores ſuos lardum, vel butyrum et iuſcula pinguia largius commedunt. Et circulatores, antequam acerrima venena deuorent, oleo aut butyro inſulſo veſcuntur.

h) Achard *l. c. p.* 225.

i) *Göttinger Taſchen - Calender* *V. p.* 288.

k) *von* Steinwehr *l. c. Th.* 1785. *p.* 194.

Sect. IV.

De virtutibus vnguinosorum anthelminticis.

§. 50.

Oleosa pharmaca priscis temporibus inter *vermifuga* iam pertinebant, eorumque vermes necandi potentia vel a vi specifica, maxime vero ab *obturatione trachearum*, quibus eorum cutis perforata est, deriuatur. Veteres medicamenta anthelmintica fere omnia oleo temperabant. Galenvs insecta oleo madefacta interire scribit *a*), et Aristoteles obseruauit, celerius id fieri, si illita soli exponantur *b*), Res vero extra omnem dubitationis aleam experimentis *Cel.* Redi posita videtur, qui muscas, hirudines, lumbricos, limaces aliaque insecta variis liquoribus immersit, eaque in viuis permansisse refert, exceptis aliis oleo inunctis et suffusis, quae mortua vitam non receperunt, licet solis radiis exposita fuerint *c*). Marcellvs Malpighivs similia multa molitus, oleosa insectis esse infestissima, mortemque illis inferere praesentissimam, pluribus suis experimentis cognouit, quibus opinionem de natura olei vulgarem explorare annisus est *d*).

An vero remedia, quae in insecta et vermes terrestres agunt, etiam in hominum animaliumque lubricos vim habeant, fortasse haud satis tuto inde declarare licet. Lumbrici terrestres a lumbricis in hominum et brutorum corpore viuentibus spe-

a) *de simpl. med. facult. L. II. c.* 20.

b) *Hist animal. L. VIII. c.* 27.

c) *Degli animali viuenti p.* 156. *dentro gl'animali viuenti p.* 156.

d) *Diss. de Bombyce in opp. Vol. II. p.* 65.

ſpecie differunt, et *Cel.* Redi obſeruauit hominum lumbricos medicamentorum violentiae magis reſiſtere quam terreſtres, hos agiliſſimos eſſe et ad motum paratiſſimos, cum humani extra corpus inertiſſimi, tardi, torpidique videantur. Lumbricos ille terreſtres aquis ſtillatitiis immiſit, qui ſtatim moriebantur, lumbrici vero, qui in corporibus humanis viuunt, ad ſummum intra 10 horas interibant. Vinum ſumma cum celeritate lumbricos terreſtres enecat, humani vero lumbrici in vino ſatis diu vixerunt cet. Torti lumbricos terreſtres in liquoribus ſibi infeſtis longe citius exſtinxit ac vitulilinos, niſi forte id contigerit, quod, vti ipſe ſcribit, vitulini crasſiores multoue robuſtiores eſſent *e*). Ex ipſis his autem inferre non poſſumus, eadem fere omnia pharmaca, quae lumbricis terreſtribus nocent, hominum quoque lumbricis aduerſari, et vice verſa. Nec inde ſequitur, vti Clericus vrget *f*), inutilia eſſe, quae in terreſtres lumbricos fiunt experimenta, ſed diſcrimen, quod inter vtriusque generis partium interiorem formam intercedit, omnino impedit, quo minus eaedem res vtrisque aequaliter infenſae ſint. Maxima vero inter lumbricos humanos et animalium (eos praecipue qui in porci viſceribus reperiuntur) intercedit aequalitas, non ſolum quoad formam externam, cum plane a ſe inuicem diſtingui nequeant, ſed et eadem corporis interni ſtructura conſpicitur, et, quod maximum eſt, medicamentorum in ipſos agentium vi eadem pereunt. Eandem ſimilitudinem et analogiam Valisneri in lumbricis vitulinis et humanis iamiam inueniſſe refert *g*). Et quidni fidem illi praebeamus, quum plura de vermibus humanis extra corpus humanum inuentis, magnorum virorum teſtimonia adſint *h*).

§. 51.

e) *Therapeutice ſpecialis L. V. c. VI. p. 34.*

f) *Hiſtoria latorum lumbricorum C. XV. p. 303.*

g) *Conſiderazioni ed eſperienze intorno alla generazione de vermi ordinari del corpo umano fatte de Antonio Valisneri in Padoa 4. MDCCX.*

h) cfr. Rauh *diſſ. de aſcaride lumbricoide Goett, 1779. p. 73.*

§. 51.

Multa igitur in vermes humanos, et e corpore porcorum eductos, tentaui (vituli enim aliaque animalia rariſſime vermes alunt) eosque tempore fere eodem necatos vidi, quo humani moriebantur. Mors vero lumbricis humanis et porcinis non ita ſucceſſit, vti in inſectis et lumbricis terreſtribus obſeruatum eſt. Crediderunt medici recentiores vermibus ideo nociua oleoſa eſſe, ſi copioſe ingerantur, quod obſtruere poſſent tracheas dictas in inſectis, et a MALPIGHIO in bombyce obſeruatas et deſcriptas, per quas reſpirant. Verum illae tracheae in vermibus humanis excepta taenia nondum demonſtratae ſunt, et, ſi adeſſent, forte non reſpirant, cum in inteſtinis viuere debeant quae ſemper contentis repleta et ſtatu naturali contracta ſunt *i*). Pituita praeterea inteſtinali tenaci obliti ſunt, quae in viſceribus vernicis inſtar eos obducat, et ab aëris contactu defendat; fortaſſe et haec cauſa eſt, quare lumbrici oleum diutius ſuſtinere poſſint, ne ſpiracula ſi quae adſint vbique arctiſſime claudat. ANDRY bombyces, gryllos, locuſtas et al. per totum corpus oleo ſuffudit, capite excepto, et breui tempore animalcula paralytica necabantur, ea vero, quorum capita ſola inunxerat aut in quibus omnes tracheae oblinitae non fuerant, vitam nequaquam amiſerunt *k*). Immiſſa etiam antliae pneumaticae inſecta aëre orbata ſtatim periere. Et ego lumbricos terreſtres, quos in oleum miſi, bullis aereis obſitos vidi, quae in ſuperficiem tendebant, neque vermes extinguebantur quousque omnis aer aſcenderat, quod intra paucas horas plerumque ſuccedebat.

Lumbrici vero humani et animalium plures dies in oleis vitam degunt, praecipue, ſi loco tepido aſſeruentur. Maximos enim effectus in corpora eorum ſenſiliſſima frigus exſerit, et lubri-

i) VAN SWIETEN *Commentar. IV. p. 723.*

k) *Generat. des vers p. 157.*

lumbrici in oleo frigido ſemper rigebant, neque motus edere coeperunt, antequam oleum calefactum fuerat. Quin imo, cum oleo tepido frigidum adiicerem, mire torquebantur et rigebant. In loco itaque tepido eos detinui, ne mors illis ex frigore accideret, et lumbricos ſolum maxime vegetos arripui, abiectis his, qui torpidiores videbantur. Omnes protinus per multas horas motus, agitationes, ſaltus et contorſiones edebant, nequaquam vero tanta violentia, vti lumbrici terreſtres, qui violentiſſimis conuulſiuis motibus diu iactabantur, vt tota cuticula abraſa eſſet. Senſim vero corpora eorum languebant et reſolvebantur, incitati motus aegre, et vti videbatur non ſine doloris ſenſu edebant, cutis eorum in rugas contrahebatur, et ſanguinis circulatio retardari viſa eſt. Omnes denique a morte marcidi flaccidiue euaſerunt, et capite et cauda paululum incuruata extinguebantur. In verme lato, ſi viuus et integer ex corpore egeritur, nulla hactenus experimenta inſtituta ſunt, extra corpus animale. Sed in verme lato necando oleoſa nihil proficiunt interne, vti VAN SWIETEN *l)* teſtatur, qui magna quandoque copia oleum fruſtra ſe adhibuiſſe conqueritur.

§. 52.

Ex his itaque, et iis, quae a *Cel.* REDI facta ſunt experimenta, concludere licet, oleum, quantumuis lumbricis noxium ſit, iis tamen non eſſe potentiſſimum, praeſentiſſimumque venenum, vt re vera permultis inſectorum generibus eſſe ſolet, muſcis ſcilicet, veſpis, apibus, ſcorpionibus, gryllis cantantibus, gryllo talpis, bombycibus, limacibus nudis, omnibus erucarum generibus, ſcolopendris marinis, ſanguiſugis, permultisque aliis huiusmodi animalium generibus, quae ſola tranſpiratione viuunt, et breui tempore in oleo intereunt. Verum oleorum expreſſorum vſus hanc ob cauſam conducere poteſt, quod inungendo internam ſuperficiem inteſtinorum, aut lubrican-

l) l. c. p. 725.

bricando vermes expellat, cum inteſtinorum lateribus adhaerere nequeant, vel quod larga copia hauſta vomitum et aluum ipſa moueant. Maxime tamen cum HOFFMANNO m) oleoſa in grauibus a lumbricis ſymptomatibus ideo cenſerem vtilia, quia ſenſibiles inteſtinorum tunicas ſpaſmo conſtrictas relaxant, et mucilagine quaſi obliniunt atque defendunt; vt poſtea acriora quaedam, et purgantia remedia magis ſecure, et ſine laeſione exhiberi poſſint. Magna etenim oleorum copia requireretur, ſi immediate vermes per totum inteſtinorum tractum enecari deberent, nec remedia, quae in vermes nullam vim exſerunt, quicquam proficerent, e. c., lac et plura, quae tamen conducunt, nulla alia de cauſa, quam quod tenesmos, doloresque inteſtinorum et ſpaſticas conſtrictiones compeſcunt. Sordes praeterea primarum viarum, ciborum reliquiae, mucus inteſtinalis, alia, vermes muniunt, et ab oleoſorum contactu defendunt. *Cl.* HERBERDEN ingentem aſcaridum copiam ipſa clyſmatis oleoſi iniectione euocauit, oleum vero muco et pituitae inteſtinali ſupernatabat, cum aſcarides in pituita ſaltus motusque iugiter ederent viui adhuc vegetique n).

Non omnino tamen negari poteſt, quaedam olea prae ceteris vermibus eſſe inimica, eosque citius exſtingui, ſi his immiſſa fuerint. Ea nimirum olea plurimum valent, quae aëre ſiccantur, et in frigore conſiſtunt, quod tamen non tantum a vi obſtruente deriuare malim, ſed potius a *principio ſalino inflammabili mordace, ſeu pungente*, quod cuique vnguinoſo, his vero maiori copia, ineſſe tentamina mea demonſtrarunt. Eorum enim ſententiam amplecti nequeo, qui olea quaedam a materia magis ſpongioſa, vel poroſa magis compoſita exiſtimant, vnde in his aëri meatus ad vermes liberior pateat o). Cuius rei certior vt fierem, lumbricos in vrceo altitudine ſpithamae et quod excedit oleo pleno detinui, neque vnquam bullas exſurgere

m) *Supplem. ad Med. rat. ſyſt. de infant. morb. c. X. de vermibus.*

n) *Medical Inquiries Vol. I. p. 48.*

o) ANDRY *generat. des vers Chap. 8.*

gere vidi, neque aërem omne oleum penetraſſe crediderim; lumbrici enim ſatis diu oleum ſuſtinuerunt. Illa igitur ipſa *portio aetherea, ſalina*, quae oleis quidem omnibus, aliis maiori, aliis vero minori copia, accreſcit, eos citius tardius extinguit. Olea enim vi ignis extracta, omniaque ex aromatibus aut plantis aromaticis elicita, lumbricorum corpora tenera ſtatim perdunt et grauiſſime laedunt, vt paucis momentis conuulſi pereant *p*).

§. 53.

Varia vero a variis auctoribus olea laudata ſunt, monuerunt tamen omnes, mortiferam hancce in vermes efficaciam nunquam ſe exſerere, niſi larga olei copia deglutita fuerit. Illi quoque medici, quos felici cum ſucceſſu oleum exhibuiſſe legimus, alia ſemper addiderunt, quibus oleum facilius humoribus noſtris commiſceretur, vel debilitata per diuturnam vermium moram viſcera roborarentur, vel olei vires intenderentur. Oleorum enim effectus per ſe non ita certus eſt, vt illi fidere liceat, ſed ſaepiſſime et clyſmata oleoſa iniecta ſpem fruſtrata ſunt. Sic in Gallia olim narrante Foresto *q*) ſuccus granatorum arcani inſtar oleo oliuarum commiſcebatur; aut teſte Riverio vinum *r*). Sic *Cl.* Wall ol. oliuarum (libr ½) cum ſpirit. volatil. aromatic. (drachm. 2) ſubegit *s*) et Medicus *t*), Hoffmannus *u*) al. aromatica, amara, purgantia, *olea eſſentialia ipſa* multaque alia oleis, imprimis ol. oliuarum feliciter addiderunt. Non enim oleum oliuarum conducit ideo, quod vermes necet, ſed quod tenesmos, doloresque inteſtinorum et ſpaſticas con-

p) Clericus *l. c. cap. XV. p.* 384.

q) *Oper. L.* 21. *obſ.* 27.

r) *Prax. med, L. X. p.* 574.

s) *Phil. Tranſact. Vol.* 50. *P.* 1. *p.* 837. *ſeq.*

t) *Geſchichte period. Krankh. p.* 338. Hoffmann. *in Schroed. Theſaur. pharmaceut.* oleum oliuarum cum aliquot guttulis lixiuii ex ſarmentis vitum, vel cineribus fabarum ad enecandos lumbricos propinauit.

u) *Supplem. l. c.*

conftrictiones compefcat *x*). *Cel.* Redi oleo ifto quatuor lumbricos iterum atque iterum inunxit, et ita vnctos in vas vitreum inclufit, adiecta eadem terra, qua nutriri folent, et ibi vltra 15 dies viui manferunt. Duos alios lumbricos craffos in duo vafa olea plena immifit, qui ibi 24 horas viui manferunt, licet torpidiffimi viderentur. Eos tum extra oleum illud eduxit, liberosque in vafe terra humida pleno reliquit, vbi vnus tertio die interiit, alter vero ad fextum vsque diem vixit, quamuis femper torpidus, et vix viuus videretur *y*) Lanzoni vermem humanum viuum excretum oleo communi immerfit, qui viuere ftatim defiit *z*). Lumbrici vero porcini, quos ego oleo oliuarum immerfi, horas 26 ad 30 vitam degerunt, humani hor. 35 marcidi languidique.

§. 54.

Oleum amygdalarum dulcium ad vermes necandos, et fymtomata lenienda ad aliquot cochlearia imo vnc. 1 vel 2 circa lecti introitum, vel fummo mane pueris Hoffmannus praefcripfit *a*), fubiungendo aliquot horas poft pilulas ex extracto panchymagogo Crollii, refina ialappae et mercurio dulci paratas. Riverius *oleum amygdalarum amararum* praefert, et cum fucco limonum, granatorum vel aqua florum aurantiorum egregie mifceri docet *b*).

Ex iis tamen, quae cum vermibus experimenta facta funt, facile apparet, oleum vermibus nequaquam vi fua mortem inferre poffe.

Bagliv hora 15 lumbricos viuos oleo amygdalarum dulc. immifit, et die fequenti adhuc erant viui, fed nimium

x) *Ill.* Murray *l. c. Vol. II. p. 43.*
y) *l. c. p. 152.*
z) *Acta phyfic. med. Nat. curiof. Vol. I. Obf. 94. p. 137.*
a) *Supplem. C. X.*
b) *Prax med.* C. *X. de lumbricis p. 170.*

mium torpidi et languidi *c*). LANZONI lumbricum vomitu reiectum ol. amygdalarum dulc. immersit, qui breui mortuus est *d*). Sed COVLET cucurbitinos in nullo liquore diutius viuos seruare potuit quam in oleo amygdalarum, in quo per 24 horas vixerunt *e*. Ego *lumbricos* porcinos duos in *ol. amygdalar. dulc.* misi, quorum vnus 27 alter 30 horas vitam produxit. Lumbrici humani horas 46, 53, lumbrici terrestres horas 5 vixerunt.

In *oleo amygdalarum amararum* lumbrici porcini horas 18, 24, 39 vitam degerunt. Lumbrici vero humani tres, intra horas 34 necati sunt marcidi, resoluti, flaccidi.

§. 55.

Oleum ricini tanquam specificum anthelminticum maximis fere semper laudibus celebratum esse, supra innui (§. 11). Reliquum est, quae circa illud expertus sum, in medium proferam. Lumbricum recentissime e porci visceribus extractum, magnum et validum, in oleo ricini detinui, et per 56 horas vitam seruauit. Lumbrici humani 44 ad 48 horas vixerunt, lumbricus terrestris horas 6. Fasciolae hepaticae horas 8.

Oleum lini lumbricos porcinos intra 18 et 20 horas exstinxit. Humani intra horas 23 et 26 iacuerunt, neque enim, vt alii, flaccidi et molles erant, sed duriusculi. Lumbrici terrestres intra horas aliquot.

Oleum nucum iuglandum omnium celerrime vermes occidit. Immisi lumbricos porcinos, quoad aspectum inter se aequaliter vegetos, in oleum nucum iugland., qui intra horas 22 necabantur,

c) *Prax. Med. L. I. p. 62.*
d. l. c. p. 138.
e) *de ascarid. et lumbrico lato p. 31. seq.*

bantur, molles et flaccidi. Lumbrici humani intra horas 20 et 25. Lumbrici terrestres intra horas 2.

Oleum nucum auellan. lumbricum porcinum intra horas 19 exstinxit. Lumbricum humanum intra horas 26. Lumbricum terrestrem post 2 horas.

In *oleo papaueris* lumbricus porcinus horas 20, lumbrici humani horas 17, 22, 27, vitam degerunt. Lumbricus terrestris intra horas 3 mortuus iacuit.

Oleum sambuci, id scilicet, quod sub expressi nomine in officinis venit, lumbricum porcinum intra horas 28 necauit, humanos intra horas 2. 3.

In *oleo hyoscyami* lumbrici porcini horas 18, 22, humani horas 27 superstites fuerunt. Lumbrici terrestres horas aliquot.

Tardius lumbrici in *oleo fagi* enecti sunt. Lumbrici enim porcini in hoc oleo horas 29, 32 vixerunt, lumbrici humani horas 40, 46, terrestres horas 6.

In *oleo cannabis* lumbrici porcini horas 16 ad 23 viui permanserunt, lumbrici humani horas 27, terrestres horas aliquot.

In *oleo sinapis* lumbrici humani et porcini post horas 36 viui supererant.

In *oleo raparum* porcini horas 21, 26, lumbrici vero humamani horas 28 vitam seruarunt, terrestres horas 4.

Oleum been lumbricum humanum intra horas 26 vita priuauit.

§. 56.

Haec experimentorum meorum tota ſeries id omnino comcomprobare videtur, quod ſupra iam monui: lumbricos ſcilicet *trachearum obturatione nequaquam exſtingui.* Facile enim quispiam ſibi perſuadere poterit: vermes oleo immerſos, vitam absque reſpiratione tamdiu producere non poſſe, cum inſecta ſola inunctione breui tempore pereant. Vtut ſit, oleorum iſtorum vſus internus largus aut ſaepius repetitus vtilis eſſe nequit, propterea quod robur inteſtinorum valde labefactant, quo pituita vermium nidus generatur atque accumulatur, vermium expulſio retardatur, generatio eorum promouetur et mala alia producuntur. Ideo limitandum eſſe vſum oleoſorum quorumuis monet TISSOT verbis ſequentibus. „Il faut ſurtout bien ſe garder de donner comme remedes des huiles, qui ſuppoſé meme, qu'elles detruiſſent quelques vers d'abord, augmentent la cauſe, qui en laiſſe reproduire de nouveaux„ *f).* In crudeliſſimis vero verminantium doloribus, ſpaſmis atque torminibus egregiam praeſtant vtilitatem, cum ſpaſmos relaxent, dolores minuant, et reſarciant, quae rodendo damna intulerunt.

f) Avis au peuple p. 390.

Sect.

Sect. V.

An promiscvo oleorvm vngvinosorvm vsvi locvs sit, disqviritvr.

§. 57.

Arduum ſane negotium, tot de vnguinoſorum oleorum virtutibus magnorum virorum diſſenſus conciliare, qui ſuis innixi obſeruationibus et experimentis, peculiares vires quibusdam oleis aſſignarunt, negantibus aliis; de quibus ſententiarum diuortiis ſupra fuſe commentatus ſum. Mihi autem tantum declarandum incumbit, quantum inter olea vnguinoſa, indolis ſcilicet notarumque ſenſibus obuiarum habita ratione, verum diſcrimen ſtatui debeat.

Omnibus fere vnus eſt color, ſapor idem, eadem fere grauitas ſpecifica, iidem emolliendi, inuoluendi et relaxandi effectus, quibus omnis vnguinoſorum vis nititur. Vnicum ſeſe hoc mihi obtulit quo a ſe inuicem et a reliquis diſtingui poſſent momentum, *mutatio* ſcilicet *a frigore.* Alia enim vnguinoſa, moderato calore fluida, minori frigore ſpiſſa euadunt et fluiditatem amittunt, plus pinguedinis continent, hinc citius reliquis rancida fiunt. Olea haec ab aqua difficilius recipuntur, et in ſulphura, metalla et vermes animalium minorem vim exſerunt. Cum ſalibus alcalinis ſaponem perfectum durum conſtituunt, cum acido vitriolico ſaponem acidum, ab acido nitri vero non inflammantur. Alia contra vnguinoſa fluiditatem retinent absque mutatione in frigore, cuius generis ſunt *oleum iuglandum, oleum e pineis, ſeminum cannabis*

bis, *lini*, *papaueris*, *nucum auellanarum*, et *amygdalarum amararum*. Olea haec effentialium oleorum indolem quodammodo mentiuntur, quae frigus intenfiffimum fuftinere poffunt absque infigni fluiditatis fuae iactura, denfantur tamen frigore nonnulla, vtpote oleum foeniculi, carui, anifi, rutae, quae propius ad vnguinoforum naturam accedunt. Maiorem vero acidi copiam in mixtionem primordialem recipiunt, tardius hinc rancorem contrahunt, cum aqua facilius commifcentur, et a fpiritu vini pars eorum adeo recipitur. Salia alcalina faponem minime denfum et folidum, fed mollem cum illis conftituunt, cum acido vitriolico fapo acidus conficitur, et in flammam erumpunt, fi illis addatur nitri fpiritus. Maior etiam eorum vis in fulphura deprehenditur, cuprum colore viridiore, aliaque metalla citius foluunt; et, fi vis vnquam anthelmintica oleis tribui poffit, in his certe refidet. Sapor oleorum et colorum varietas a mucilaginofis partibus praeparatione folutis vnice pendet, fola vero lotione cum aqua color in omnibus albefcit, et infipida fiunt, frigoris tamen effectus nunquam tollitur.

§. 58.

Olea vnguinofa e retorta vel cucurbita alembico roftrato inftructa, leni igne et circumfpecta deftillatione omnia, quatenus haec tentamina facta funt, praebuerunt primo phlegma infipidum, dein acidulum. Protracta vero deftillatione oleum tenuius, pofthaec craffius empyreumaticam prodit, materia tenax carbonaria remanet, quae crucibulo combufta terram albam magis ad vitrificabilem quam calcaream accedentem, partibusque martialibus mixtam relinquit *g*). Euul-

g) WALLERIUS *de origine oleorum in vegetabilibus l. c. p. 125.*

h) von STEINWEHR *l. c. Th. III. p. 190. seq.*

Euulgauit vero nuper *Cl.* SCHEELE fententiam, qua omnia, quae hucvsque de oleorum primordiis dicta funt, fere annihilari videntur. Contendit enim, olea non nifi *phlogifto, aëre fixo* feu *acido aëreo,* atque *aqua,* effe compofita; acidum vero quod deftillatione ab iis obtinetur, dicit compofitum effe *aqua, acido aëreo* et *phlogifto*, et fub deftillatione effe *productum*; fiquidem nemo hucvsque ab acido vegetabili et phlogifto oleum componere potuit, vnde et fequitur, hoc acidum non vt partem oleorum conftitutiuam confiderari poffe *h*). Edixit vero WALLERIUS „ *i*) 1) acidum ineuitabiliter neceffarium effe ad combinationem phlogifti cum aqua; 2) id ipfum acidum effe manifeftum ab *analyfi*, tam igne quam mora facta; 3) *fynthefin* quoque hoc ipfum luculenter indicare in praeparatione olei vini; 4) ab acido vegetabili cum phlogiftica materia vegetabili oleum produci poffe fufficienter patet a *naphtha* aceti, quae videtur SCHEELIO ignota fuiffe. De caeteris ille componat oleum ex *aëre fixo*, *aqua* et *phlogiftica* materia *fine acido.* Contrarium tam analyfi quam fynthefi demonftratum eft, et abeat *aër fixus* in tempora hypothefibus fauentiora.„

§. 59.

Differunt vero animalium olea, *ouorum, formicarum* cet. quod in mixtionem primordialem *alcalinum* quoddam *principium* recipiant, cum in oleis vegetabilium *fubtile acidum* fefe manifeftet *k*). Turgida enim funt olea animantium fale volatili, quod altius illis inhaeret, et ex ipfis oleis copiofe elicitur.

h) *Chem. Abhandlung von Feuer und Luft.* p. 86.

i) *Diff. cit.* §. 4.

k) HOFFMANN *obf. phyfico-medicae* p. 32.

elicitur. Quin imo ipſa olea animantium deſtillata, ſi diutius cum ſale lixiuioſo digeruntur, in ſalia volatilia transformantur.

Veteres multifarias oleorum differentias conſtituebant. Secundum *aetatem*, cum aut recens eſt et velut muſtum, aut vetus. Secundum *praeparandi modum*, cum aut ſimplex, ſolum et impermixtum fuerit, aut cum ſale praeparatum. Secundum *fructus* ipſius *diuerſitatem* cum is aut maturus, aut immaturus extiterit. Secundum *inductam* arte *alterationem* cum, aut prout ab initio praeparatum fuit, ita ſeruatur, aut candidum efficitur *l*). In vniuerſum tamen vires easdem omnibus tribuebant, *calefaciendi* ſcilicet *corpus*, *emolliendi* et ad *actiones obeundas expeditius reddendi*, *aluum* denique *deiiciendi*. Vnicum tamen hoc diſcrimen intercedere crediderunt, quod oleum vetus, aetate quaſi generoſius redditum, efficacia ceteris antecellat.

In determinanda itaque oleorum vnguinoſorum virtute, nulli eorum virtutes quaedam propriae adiudicari poſſunt, quae aliis expreſſis non ſimul competant. Variant vero mirifice euentus experimentorum, prout oleum adhibitum fuerit plus minus vetuſtum, ex ſeminibus rancidis vel effoetis expreſſum, et prout magis calide vel frigide peracta fuerit expreſſio *n*). Neque tum mirum eſt oleum a quibusdam encomiis celebrari maximis, quod ab aliis inertiae arguatur. Ex tanta itaque oleorum expreſſorum vel vnguinoſorum farragine, vnum vel alterum ad vſus medicatos ſolum ſufficeret. Pro vſu interno ſit in ordine princeps oleum ricini, ſequan-

l) GALENUS *de ſimpl. med. facult. L. II. c 8*

m) DIOSCORIDES *M. med. L. I. c. 30.*

n) CHARDENON *in Mem. de l'acad. de Dijon Tome II. p. 9. ſeq.*

ſequantur reliqua. Id modo caueat quisque, ne, quod illi dare placuerit, oleum rancore infectum ſit, verum recens quam maxime, et prelo frigido erutum, quod olea et a rancore praeſeruat, et gratiam illis conciliat.

§. 60.

Haec fere ſunt, quae de oleis vnguinoſis dicenda habui. Intimius quidem oleorum primordia ſcrutari in animum meum induxeram, verum temporis breuitate, et multis negotiis aliis, quae vita academica iniungit, praepeditus, *chemico* praeterea *apparatu* omni *plane deſtitutus*, hiſce acquieſcere *cogor*. Olea, quorum deſcriptionem dedi (vti in officinis proſtant) recentia, nec rancore foedata fuerunt, et quae circa vermes, miſcibilitatem cum aqua cet. pericula feci, diligenter et cura quantum potui maxima inſtituta ſunt. Vt itaque primitiis his iuuenilibus indulgeat aequi cenſoris humanitas oro rogoque.

Corrigenda.

Pag. 30. lin. 24. loc. *do-* leg. *donec.*

pag. 81. lin. 16. loc. *llique* leg. *illique.*

pag. 45. lin. 3. loc. *quarundarum* leg. *quarundam.*





